De natura et effectionibus daemonum libelli duo ... / cum explicationibus et prooemio Joachimi Camerarii.

Contributors

Plutarch.
Camerarius, Joachim, 1500-1574.

Publication/Creation

Leipzig : J. Steinman 'typ. Voegelianis', 1576.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wb2gfx93

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



1576

— Plutarch —

BAYSWATER
ATHENÆUM,

G. Montague Davis, B.A.

Hon. Sec.

5134/A

Faculté

5134

1776

323

N IV C

PLUTARCH

C

53101

DE NATVRA ET EFFECTIONIBVS DÆMONVM LIBELLI DVO

PLVTARCHI CHERONENSIS. CVM EXPLICATIONIBUS, & Proœmio

Ioachimi Camerarii.

QVIBVS ET ERVDITAE ET RARAE ET IVCVNDAE & non inutiles cognitu rerum mirabilium & singularium expositiones continentur.

CVM PRIVILEGIO.

Wittber 6 Sec. 28 1016

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

In Libellos duos

PLVTARCHI CHERONEI, VNVM DE ORACULIS quæ defecerint, alterum de consecrata figura EI. Delphis, Proœmium

IOACH. CAMERARII, AD CLARISS. VIRVM IVRISCONS. præstantem dignitate, virtute & sapientia ADRIANVM ALBINVM, Consiliarium Illustriss. Principis Ioannis Marchionis Brandepurgensis, &c. amicum præcipuum.

CVM NVPER HAC EX Nemetum vrbe reuertens transires, & me, perpetua consuetudine tua, humanissime salutasses, recordari te puto, Adriane Albine, factæ mentionis inter alios sermones nostros, cuiusdam à me, de mirabilibus cogitationibus meis, quibus causſam dedissent narrationes tuæ superiorum dierum, quando proficiscens ad Rhenum huc veneras. Commemorauisti enim tunc, quid apud vos compertum prolatumq; fuisset, de mulierum quarundam veneficarum horribilibus faci-

noribus, deq; superstitionis incredibili efficacitate, & eiusmodi operibus, de quib. non modo solertiæ humanæ consideratio quærens conturbari, sed religiosæ quoq; pietatis attentio vacillare quodammodo posset. Verùm hæc confirmatur quidem illa veritatis celestis diuinitùs patefacta doctrina. Sapientia autem humana profectò in his veluti salebris prorsus adhæresçit. Atq; me ea repetentem animo quæ audiueram ex te, percusserunt similia quædam de alijs cognita. Nam quod tu de consuetudine spirituum quadam occulta ceteris, ipsis illis infelicibus mulieribus manifesta, exposuisti, perquàm multa alijs temporibus atque locis pariter deprehensa, & atrocibus supplicijs vindicata esse constat. Extatq; liber cuiusdam titulo Mallei maleficarum, & Franciſci Pici alter de Strigibus, in quibus huius generis exempla & plurima numero & factis teterrima leguntur. Atque ego me aliquando paulò antequam cubitum irem librum Pici percurrentem, memini noctem illam habuisse valde grauem ac difficilem, obuersantib. animo terroribus varijs de ijs quæ ibi referuntur.

runtur. Sed in vestris actionibus illud fuit in tristitia ridiculum de cuculla. Mihi verò post tuum discessum de istis ita multæ & variæ cogitationes obstrepere non destiterunt, vt non possem facere quin de tota re anquirere, & considerare accuratius & diligentius instituerem. Ac primùm si Democriti autoritas atq; rationes, quem Epicurus secutus est, aliquid valere deberent, res ista tota vt commentitia & inanis pro nihilo duceretur. Qui esse quidem statuit omnia simulacris seu imaginib. (ipse εἴδωλα appellauit) referta, sed inanibus atq; cauis, quæ si inciderent mirifica & absurda, animos imperitorum illis valde perturbari. Itaq; ad hæc visa (quæ Catius quispiam Insuber, vt Cicero ostendit, Spectra appellauit) discutienda, iudiciũ & sententiam confirmari debere censuit, & ipsum in bustis eam ob rem sæpè pernoctasse, etiã interdum aliquid scripsisse accepimus. Cumq; aliquando terrendi ipsum caussa adolescentes quidam ornatu furiarum circum bustum, in quod intrasse eum scirent, perstreperent atq; tumultuarentur, placidè ille fertur, nihil com-

motus omnino iussisse ipsos ab ineptijs istis desistere. Aristoteles quoq; naturam esse aliquam animæ & spiritus talem, quæ sine corpore suo atque proprio obuersari, aut corpus sibi aliquod fingendo circumdare posset arbitrio suo, haud scio an nequaquam concesserit. Platonici verò de his mirabilibus rebus ita mirabiliter disseruerunt, vt in philosophiæ disputationes ea, quæ & aliena neq; consentanea essent, implicuisse videantur. Atq; vt quisq; recentissimus fuit horum & ab eo cultu numinis diuini, quem Plato celebrat, alienissimus, sic maximè ab hominũ communi sensu abhorrentia commentus est, atque confinxit. Tota autem ratio illa inde ducitur: Esse naturas quasdam medias inter diuinam atq; humanam interiectas, quas Dæmonum nomine appellarunt. Hos autor ὀπινομίδος, id est, appendicis librorum Platonis de Legibus, (nam de hoc dubitatum esse constat) cùm tertia & media in regione collocasset, aërium genus planè facit. Et tribuit his tam lætitiæ quàm tristitiæ affectionem, cuius diuinum genus expers esse ait, facitq; eos interpretes

tes hominum ad Deos. Sed posteriores ex igne etiam & aquis hoc genus produxêre. Extantq; Pselli de his spiritibus, quos planè animalia, id est, ζῶα antiquitas fecit, scripta, cuiusmodi illa quidem, licet iudicent legentes. Neq; multùm discrepant ab his ea, quæ passim in Philonis Iudæi scriptis de his Naturis diuinitatis cuiusdam humanitatisq;, participibus leguntur: magis Platonissantis illius quidem opinione & sententia, quàm sermone & elocutione. Atq; hæ disputationes omnino corpora attribuunt spiritib. istis. Cum autem Animæ natura sit Platoni quoq; sine corpore, alia erit nimirùm istorum spirituum, & alia Animarum per se natura. In Phædone quidem, & simulacra cerni quædam non quarumcunque sed futilium tantùm & improbarum animarum legitur, quibus corporis inhærentes sordes speciem quandam vmbratilem videndam exhibeant, & Dæmones, quos genios aliqui interpretati fuêre, Cicero dubitanter ille quidem Lares, adiungit Plato exeuntib. è corporibus singulis, eos nimirùm qui cuique sortito obtigerunt, secundum fa-

bulam expositam in vltimo libro Rerumpublicarum. Atq; huc id pertinere possit, de quo M. Antonium à quodam vaticinatore admonitum fuisse scribitur : caueret sibi ab Octauiano Cæsare, Nam genio ipsius, genium Cæsaris esse formidolosum. Hunc Dæmona esse eum, singulari quadam ratione asserit Plutarchus in libello de Socratis Dæmonio, qui in anima quidem insit, sed extrinsecus adueniat, & ab anima diuersam habeat naturam, quam Mentem communiter nominemus. Sic autem interpretor eum, qui Græcis νοῦς est. Fecerunt autem bonum genium, id est, ἀγαθὸν δαίμονα, & κακὸν, malum. Vnde & εὐδαίμονες felices, & infelices κακοδαίμονες dicti fuerunt. Nam & fortunæ & fati significationem habet nomen Græcum. Vt δαίμονι δ' ὅτος ἔνδα. Et πάρος τοι δαίμονα δώσω. Et Phœnisis, ἔδωκε τῇ τύχῃ τὸν δαίμονα. Hesiodus quidem Saturniæ ætatis sobolē dæmones euasisse ait, custodes generis mortalis. Nimirum bonos hos. Nam, vt diximus, malos quoque esse aliquos perhibuerunt, naturas quasdam, vt tradidisse Xenocratem Plutarchus scripsit, in libro

bro de Iſide & Oſiride, ingentes illas quidem ac potentes, ſed ſæuas atque triſtes. Quorum cultus eſſet obſeruatio eorum dierum, qui atri à Latinis, ἀποφράδες à Græcis ſunt appellati, & alia quædam operationes ſacrorum lugubres aut obſcenæ. His enim iſtud genus delectari, & interea ab alijs grauioribus malis vacare. Atq; diſputat ibidem ille autor, apud Homerū Dæmonis nomen ita vſurpari, vt indicetur miſta quædam atque inæqualis natura ac voluntas. Sed eſt ſine dubio hic poëta nomine eo de Dijs vſus. In conuiuio Platonico exponitur definitio ſeu deſcriptio quædam huius naturæ, & perhibetur, quicquid Dæmonium ſit, id eſſe medium interiectum inter Deum & mortale genus, eāmq; habere poteſtatem atq; vim, vt interpres ſit atque deferat ad deos & homines aliqua. Nam ſimpliciter Deum & hominem coniungi non poſſe. De qua & alijs ſimilibus mentionibus dæmonum, Platonici illas longas atq; obſcuras & inextricabiles telas narrationum detexunt. Quod autem dicitur in nono libro legum, non eſſe animas pauciores

mundum hunc administrantes duabus, vna benefica, & altera contraria, aliam fortasse etiam sententiam habeat, malorum tamen bonorumq; genera atq; causſas omnino indicat. Et est istud Platonicum genus dæmonum omnino anima quædã cum corpore aërio. De imaginibus verò seu simulacris siue visis atq; spectris, qui Platonica scripta suis commentationibus explanare voluerunt, quàm mirificè disseruerunt? Docent hi inter alia: Simulacra seu visa illa res quasdam esse consistentes, quas quadã arte dæmones fabricentur. Sic enim Proclus: κ) πλάτωνα, αἱ ἐμφάσεις ὑποστάσεις εἰσὶν εἰδώλων τινῶν δαιμονίᾳ μηχανῇ δημιουργούμεναι. Quæ sanè audacter dici in philosophicis disputationibus videntur. Atq; hoc modo nihil loci relinquetur vllarum causſarũ vestigationi, cum ad omnia in promtu sit diuina quædam efficientia. Neq; malè responderit, qui in scholis derisus fuit, cum interrogatus: quo pacto existeret nix? diceret: Quia Deus sic voluit. In disputationibus autem philosophicis, ad captum ingenij humani bene & vtiliter distinctæ fuerunt nominibus res diuersæ, vt con-

consistentes & veræ, ὑποστάσεις: apparentes & vanæ, ἐμφάσεις vocarentur. Vt facies hominis, verbi caussa, ὑπόστασις est, in speculo autem huius imago, ἔμφασις. Hæc confundi ineruditum, & facere ex somniorum etiam visis res consistentes atq; veras, ridiculum quoque videtur. Haud etiam scio an aliena ista sententia in Platonica decreta implicetur. Quæ, ut exculperent quod vellent quiq;, quàm varie & dissentaneum in modum enarrarunt? Nam & λογικῶς, id est, argumentando tantùm illa conantur explicare, & exemplis illustrare πραγματικῶς. Et μυθολογικῶς indicare, quæ sunt fabularum poëticarum applicationes, & demonstrare φυσικῶς, id est, caussis redditis naturalibus, & cumulare hæc omnia Aegyptiacis commentis. Pudet me sanè nequaquam abhorrentem à Platonica philosophia talium explicationum, quibus miscendo & inuoluendo omnia quasiq; præstigijs fucisq; faciendis illa familia delectata fuit, non illustrans sententiam autoris, quem sequi se profiterentur, sed obscurans. Ac miror si illi ipsi explicatores habuerunt certi exploratique aliquid,

quid, quo tanquam firmo fundamento cogitationes eorum niterentur. Et scriptores tamen quidam ecclesiastici nugas has amplectentes, in doctrinam sanam celestis veritatis ista, veluti ægrotorum somnia, inculcarunt. Quæ volentibus perscrutari negotij facessere & laboris exhibere plurimum poterunt, cum in summo studio attentioneq; id vnum hinc percepturus aliquis sit, vt quo pertinacius in ea incubuerit, hoc maiore dubitatione de rebus diuinis & humanis compleatur. Atque sunt omnino Platonis nonnulla scripta & Platonicorum plæraque omnia eiusmodi, cuiusmodi fuisse ille autor perhibet priorum, Zenonis, Parmenidæ, Heracleti, Empedoclis. Qui communis modi hominum multitudinem, atq; etiam doctorum vulgus paruipendentes, vel despiciendo etiam negligentes, nihil curarint assequi ne possent, hi legentes scripta sua, quid sensissent, an non possent, cum nihilo minus ipsi perrexerint enarrando à se quisque instituta. Itaq; ex his ipsis vel ætate vel animo iuuenili exultans aliquis, scientiæ copiam se putat haurire singularem, & ea ad-

ea admodum gloriatur. Qui verò indagant singula accuratius, & comprehendere stabilem atq; veritate fundatam cognitionem volunt animis sedatioribus, ij exhiberi plurima sic experiuntur, vt secundum prouerbiũ Græcorum, iubeantur retinere diligenter id quod non acceperunt. Sed nos de Platonicis dæmonibus quod restat persequamur. Platonem igitur: siquidem animam probam, iustam, sapientem, & alteram improbam, iniustam, insipientem introducit: facere itidem & bonos & malos dæmones, non fuerit dissentaneum. Verùm in Cratylo cum nominis originem ille deducat à scientiæ & intelligentiæ verbis, & prudentiam huic generi tribuat, qua præditi φρόνιμοι à Græcis appellantur, & argumentetur: Qui ita sint, eos bonos omnino esse, cum præsertim ab aurea hominum ætate Hesiodus dæmonum nationem quasi propaget: Has igitur ob caussas planè genus totum bonitate compræhendit. Sed hæc fortasse explicari sic possint, vt tam animæ communis quàm huius singularis dæmonum, senserit Plato naturam esse præclaram

atq;

atque bonam, corruptelam verò & labem ab vtriusq; voluntate praua accedere, &, vt ita loquar, inolescere. De quibus hoc loco plus verborum fieri non conuenit. Dæmonib. quidem certè administris vtitur vniuersa superstitio vaticinationum & aruspicinæ, auspiciorum, consecrationum & execrationum, carminum quibus aliquid incantatur & excantatur, ariolorum denique & Magorum. Id quod Plato in Symposio duobus verbis μαντειῶν & γοητϛῶν indicauit. His & dæmonium Socratis adiungatur, de quo quidnam fuerit, multi quæsiuerunt, cum ipse in Phædro vocem prohibentem aliquid audire se esse solitum dicat. Sed de his fortasse postea plura. Nunc ad animarum mentionem reuertamur, earum quidem quæ & in hominum mortalia corpora aduenire, & inde recedere, ex veteribus Pythagoras, & hunc secutus Plato perhibuerunt, de sententia prisca Chaldæorum, vt fertur. Quæ si & cernuntur, & ipsæ aliquid perpetiuntur ab ijs rebus quæ solidæ sunt, vt ferrum, ignis, vepres, aquæ, quemadmodum de cruciatibus harum traditur, vel corpus

pus eas, vel corporis reliquias aliquas habere oportet. Nam illud ætherium vehiculum, id est, ὄχημα, animæ, quod corporis instar in his esse quidam volunt, & aurai simplicis ignis, secundum poëtam, non esse potest eiusmodi vt externas tales plagas sentiat. Sed hæret in quibusdam, quæ sese in corpus penitus implicuerunt, de hoc ipso plus aut minus scilicet. Nam quemadmodum Poëta ait, Etiam

Supremo cum lumine vita reliquit
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum,
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Sed poëtarum & philosophorum similes fabulas omittamus. Ad quas enarrando conformandas, cùm ingenio est acri, tum multiplice studio & singulari industria opus, quæ in hanc conferri partem haud scio an nequaquam debeant à studiosis sapientiæ. Cicero præclarè scripsit: Vt Deos esse natura opina-

opinamur, sic permanere animos arbitramur. Sentit enim esse insitum hoc naturaliter omnibus, quod sit numen diuinum, & similiter animæ natura immortalis. Cetera composita ad puerorum & imperitorum terrorem putat. Homericæ quidem animæ similes vmbrarum aut visis somniorum, & simulacrum illud Herculis apud inferos, qui ipse frueretur coniugio Iuuentatis in celo, vt commenta sunt fabularum, sic credendum, aliquam esse causſam, qua de causſa illa conficta fuerint. Nam non modò dormientibus, sed vigilantibus quoq; species aliquas obuersari, si quis neget, is nimis audax vel temerarius potius esse videatur. Quod Pentheo erroris obiectum fuisse, quod Mænadas illas ad scelera immania incitasse Tragœdiæ perhibent, Nunquid ad externam aliquam maleficam vim referendum? Orestis verò furias, & his similes exagitationes, quamuis M. Cicero ad animorum terrores cruciatusq; referat: non ideo tamen, nihil istiusmodi reuera existere atq; accidere, asseuerari debeat. Cum autem carminibus quibusdam, & sine etiam his vltrò figu-

ræ quasi excitatorum mortuorum ante oculos ponerentur, ex eo de animarum natura corporibus relictis superstite, sententia confirmata est, & superstitio conualuit euocantum has, & sacrorũ, vt ita loquar mortualium. Qualis est Homerica νεκύια, & quæ νεκρομαντεία vocatur, & ψυχαγωγῶν atque νεκροπόμπων præstigiæ. Loca etiam his actionibus peculiaria dicata fuêre, vt, verbi caussa, Tænari in Laconica. De quibus omnibus ad explicandum oratione esset opus prolixa, requirente illa quidem peculiarem tractationẽ, cui modò non est locus. Homerum quidem non vmbras vocasse animas monent Grammatici, quod Maro fecit, sed quasi vmbras, & somniorum visa. De his igitur imaginibus seu simulacris ea est antiquitatis quàm longissimè retrò opinio, & omnium persuasio, vt qui deridere hæc cum Epicureis audeat, is improbus & leuis, qui seriò argumentando euertere conetur, nimis confidens esse videatur. Quales autem istæ imagines, & cuiusmodi vel visa vel spectra illa sint, ratione perquirere, non fuerit à studio sapientiæ & veritatis

alienum. De Euthymo pugile & ſuperato ab ipſo fugatoq́; dæmone Temeſæo, quid traditum ſit, explicatores docent prouerbij: Temeſæus dæmon. Extat Philoſtrati liber, cui autor nomen fecit Heroica. vbi de Proteſilæo, cum quodam Elæuſio familiariter verſante, & Palamede cum Ilienſi altero mira narrantur. Sed de Achille & Helena & Patroclo, qui inſulam Leucen incolerent, multò etiam mirabiliora tam ab hoc quàm ab alijs. Horrenda etiam ab hoc, de Iliaca puella adhuc ſola reliqua ex Priamidarum & Dardanidarum gente atq; ſanguine, ab Achille diſcerpta, & Amaſſonidibus in inſula ſua deletis, quæ fanum ſpoliare vellent. Hæc non diſsimilia ſunt fabulis poëticis, vt Polydori Euripidei, & Hectoris Maroniani. In Luciani autem dialogo, qui inſcribitur φιλοψευδὴς ἢ ἀπιστῶν, quamuis derideantur ab illo ſub Tychiade perſona omnia, cùm alia incredibilia narrantur, tum eadem quæ in quadam Plinij epiſtola ad Suram. Iam ille apud eundē Pelichus vlciſcens furem ſtipis ſuæ, & Heroës Delphici profligantes Gallicas copias, quid aliud fe-

ūd feruntur feciſſe, quàm quod de noſtrati quodā dicitur Præſule, qui quendam principem virum, detrahentem aliquid de poſſeſsionibus conſecratis, percuſſum claua, mortuus viuum interfecerit. Nonne autem Plutarchus Cimone ſcripſit, quodam in patria ſua Damone per fraudem interfecto in gymnaſio, diu eſſe ſimulacra ibi conſpecta, & auditos gemitus atq; eiulatus. Foribuſq; tandem eius loci obſtructis, nihilo minus ibidem poſtea cùm viſa apparuiſſe, tum ſonos auditos eſſe abſurdos atq; terribiles. Quæ autem in eodem de Cimone libro à Plutarcho de Pauſania Spartiata commemorantur, placuit conuerſa in Latinum ſermonem ſubijcere. Fertur Pauſaniam Byſſantij virginem nobili genere natam, Cleonicen nomine, accerſiſſe ad turpem conſuetudinem. Atq; parentes neceſsitate quidem ac metu filiam ſuam dimiſiſſe, Eam verò ab ijs, qui ante conclaue ſeruabant, impetraſſe, vt lumen remouerent, atque ita in tenebris cum ſilentio accedentem ad lectum, Pauſania iam dormiente, offendiſſe ad candelabrum, idq; euertiſſe inuitam.

Perturbatum autem ſtrepitu Pauſaniam eduxiſſe appoſitam ſicam, & quaſi inimicum adorientem ſe percuſsiſſe, & proſtrauiſſe virginem illam. Quam de ictu eo mortuam, non ſiuiſſe acquieſcere Pauſaniam, ſed ſimulacro quodam noctu obuerſantem ipſi in ſomno, pronuntiaſſe iracundè verſum heroicum hunc:

Ius ſubeas, valdè eſt iniuria res mala cunctis.

Id facinus vel maximè ægrè ferentes ſocij, duce Cimone oppugnando ipſum eiecerunt. Iſq; amiſſo Byſſantio, cum, vt fertur, pergeret viſum illud turbare eum, confugit ad Necyomantium Heracleæ. Vbi anima Cleonices euocata, iram illius fuit deprecatus. Hæc verò & conſpectui ipſius ſeſe obtulit, & breui fore dixit, vt malum illud ceſſaret, vbi Spartam redijſſet, tacitè nimirùm indicans mortem ipſius. Fuit auorum noſtrorum memoria, bellator glorioſus Scythicæ gentis Tameralanus, immani crudelitate & ſæuitia celebris. Is in vna à ſe condita vrbe collocarat vndique adductos ex deuictis populis opifices, qui ibi ſeruili conditione ſuam quiſque artem excercere cogebantur.

tur. Mortuo autem Tameralano, audita sunt lamenta miserabilia ad sepulcrum ipsius totis noctibus. Tum sacerdotes monuerunt filios mortui, vt seruitute opifices illos liberarent. Quo facto, nihil postea auditum amplius esse accepimus. De C. autem Cæsare, cognomento Caligula, hæc Suetonius scripsit: Cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cespite obrutum est, postea per sorores ab exilio reuersas erutum, crematum, sepultumq;. Satis constat priusquam id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos. In ea quoq; domo, in qua occubuerit, nullã noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit. C. verò Gracco, quemadmodum scribit Cicero, quæsturam petenti, T. frater visus est in somnijs dicere: Quam vellet cunctaretur, tamen eodem leto, quo ipse interijsset, esse ei pereundum. Sed de somniorum visis nunc non differemus, de quib. & aliorum extant disputationes, & Synesij liber. Persuasum autem fuit omnibus sæculis, & vbique locorum ferè ac gentium,

tium, aliquibus, mortuorum animas ipsas post vitæ exitum adhuc obuersari, & sæpè cerni specie hac aut illa, plærunq; autem vel miserabili, vel terribili, sæpè non cerni, sed audiri tantùm voces, sonos, strepitus, fremitus, tumultus. Itaque & Saulum Regem Iudæorum legimus Samueli animam curasse euocandam, quam & videre, & prædicentem quædam audire se crederet. Neq; est ambiguum, quin talia acciderint, cùm & nostra ætas experta sit, & nunc quoque istiusmodi passim fieri comperiatur. Neque tantùm certis in locis conspectum & auditum tale quippiam esse scimus, sed certò cognouimus quasdam personas affectata esse illa simulacra, à quibus ipsis solis cernerentur. Cuiusmodi si vellem, omnia nota atq; comperta & audita fortè ab alijs, lectaq́; in multorum libris inserere, facilè possem ingens volumen perscribendo efficere. Sed cum res ista satis planè demonstrata sit, plurib. commemoratis nihil opus fuerit. Atq; ea res sanctam quoque Ecclesiam Christi non parùm conturbauit, introducta assertione Platonicarum nugarum de purga-

purgationibus animæ, quæ è corpore exceſsiſſet, & conſtituta veneratione mortuorum quorundam hominum, pietate quidem religioſa atque virtute excellentum, ſed nihil tamen niſi hominum: In quibus errores ſuperſtitionis ijdem ſunt, qui aliarũ gentium animos occupauerunt. Quid enim obſecro differre aliquis putet à Trophonij Lebadiæ antro, ſpecum Patricij in inſula Hibernia: aut fabulam Theſpeſij Solenſis apud Plutarchum in libello de ijs, qui ſeras pœnas darent numini diuino, à fabula Tondali cuiuſdã? Nunquid verò vt quondã in templo Aeſculapij & alijs incubantes, & huius illiusúe Dei auxilium petentes, aliquam vim ſenſerunt ſuperantem humanam: Sic mutato cultu illo numinis diuini, nihilo minus tamen ad fana confugientes, & implorantes opem eorum, quibus illa facta & dicata eſſent, ea fieri experti ſæpè ſunt, quæ ab hominibus effici non poſſent. Quibus quidem timidiores pernicioſa ſuperſtitionis labe infecti, audaciores ad impiam confidentiam prolapſi fuerunt, adeò vt illi in falſo metu, neq; animis acquieſcerent, &

non dubitarent facultates ſuas profundere arbitrio eorum, qui iſtarum fabularum eſſent architecti, & ſingularia vitæ genera perſequi: Hi nihil eſſe reliquum poſt mortem in terris ab homine ſtatuerent, & hinc ad rerum diuinarum humanarumq; contemtum & incuriam proueherentur. Quod ſi quis non dubitet nunc quoq; affirmare, viſa iſta inania eſſe, & ſimilia atq; vniuſmodi ea, quæ dormientibus & vigilantib. offerantur, quemadmodum Epicuro placuit: Eum tam multa refellere poſſint, vt argumentatione nihil opus eſſe videatur. Quid enim huic loci? vbi de quo agitur, id ſenſibus deprehenditur. Sed Epicuri tamen rationes videamus. Qui cum affirmet, iudicium ſenſuum eſſe certiſsimum, vſq; adeò, vt ſit:

--Quod in quoq; eſt his viſum tempore verum,

quemadmodum Lucretius ait, cenſet tamen non omnia quæ nos afficiant, quæque intueamur, veritatem ſemper habere. In quo hoc eſt bellum, Senſus non falli retinendum eſſe, quamuis cur quadrata è longinquo rotunda videantur, ratio afferri nequeat: & præſtare, ſecundum eundem Lucretium, men-

doſe

doſè reddere cauſſas, quàm violare fidem ſenſuum, quod fundamentum ſit vitæ ſalutisq;. Sed non eſt nunc propoſitum in doctrinam vllius accuratè inquirere. Epicurea igitur perſequamur. Cum ea autem vim iudicij tribuant ſenſibus vniuerſam, hoc tamen etiam, Senſus, inquiunt illa, mollis res eſt, & fluxa, & erroris capax. Cogitatio autem ipſa animi multò etiam acrior atq; celerior, quæ ſenſum commouere ſolet, ac conuertere ad quamlibet ſpeciem inanem, & rei nequaquam conſiſtentis. Nam vt facilè cera figura exprimitur, ſic cum animus hominis compræhendat id quod effingit & quod effingitur, in promtu maximè eſt tunc vt ipſe variando quiduis conformet. Perſpici id poſſe de ſomniorum in dormientibus conuerſione multiplice, parte illa, in qua viſa repræſentantur, quod φανταστικὸν Græci vocarunt, leui initio ſeſe conuertente, & exiſtentib. ſomniorum varijs affectionibus ac ſimulacris. Atq; partis illius eam eſſe naturam, vt moueatur continuè, & motum illum eſſe viſa quædam atque cogitationem. Longùm autem eſſet ſimulacrorum ſeu

imaginum cõmenta Epicurea percenſere, quas omnibus ex rebus emitti, & ante oculos volitare illa ſapientia inſaniens, ſecundum Oratiũ, ait. Cum conſtet autem, non eſſe viſa iſta prorſus inania atque vana, idq; ijs in ſenſus incurrentibus comprobetur, miſſa faciamus ſimulacra Epicurea, & alia conſideratione de his vtamur. Scribit Diodorus Siculus lib. 3. in Africæ locis ſupra Syrtin, certis temporibus & maximè tranquillis ac ſerenis, conſpici in aëre variarum animantum apparentes ſpecies, alijs quieſcentibus, alijs ſe commouentibus, ita vt modò fugiant, modò inſequantur. Magnitudine autem eſſe ingentes, & mirabiliter terrere atque perturbare inſuetos. Quos enim aſſecutæ corripuerint, eorum has corporibus circumfundi cum frigore & trepidatione. Hoc externi propter inſolentiam cum percellantur vehementer, incolas nihil moueri, atque totum iſtud vſu familiare ab eis contemni. Narrant nauigatores, in ijs locis quæ extra æquinoctialem circulum Occaſum verſus, incoluntur ab hominibus feris, & qui interfectorum carnib. veſcun-

scuntur, vagari istiusmodi monstra, atque grauiter populos illos affligere. Qui nulla alia re magis defendantur, quàm igne. Iam quis dubitat verum esse, quod de Suedicis monstris perhibetur, in quibus sunt & ministrorum assiduæ & vtiles operæ. Audiui ego de patre meo, qui diceret sua memoria talem ministrum habuisse ex nobilitate Equestri nostræ gentis vnum, & quodam tempore fugientem eum hostes ereptum præsenti periculo, abducente ministro illo per amnes & siluas, montesq; inuios, atq; ita cognitum fuisse, quod conditio ipsius humanam superaret. Dimittente autem eum nobili illo, & interrogante, quid mercedis sibi dari vellet, petijsse hunc aliquid de corpore heri. Quo respondente: ne capillum quidem se traditurum, nihil illum ministrum dixisse profuturum sibi capillum, qui cauus esset, præcisos tamen vngues accepturum se esse. Ludibria sunt ista, quis nescit? Sed de hoc non quæritur, ac illud modò ad ostendendum propositum est, versari in terris, & hominum rebus negocijsq; immiscerí quasdam naturas potiores & robu-

robuſtiores, neque eſſe hæc commenta tantùm fabularum, neque iſtas ſpecies inanes ſolùm atq; imagines, ſed & res quaſdã conſiſtentes, & effectiones manifeſtas. Multa leguntur incredibilia in libris de Apollonio Tyaneo Philoſtrati Lemnij. Irrideantur ſanè ea, quæ de Lamijs memorantur, Empuſæ & Hecatæ fabulæ ad terrorem puerorum & imperitorum confictæ putentur, tota vetuſtas mentita exiſtimetur de Lemuribus & Laruis. Omnia viſorũ monſtra, in quibus Marci Bruti inprimis celebratur, pro nugis ducantur. Neq; quicquam verè horum omnium dici aliquis aiat, quia ipſe non viderit. Quis paulò prudentior hoc laturus eſſe videatur? Nam vt de hiſtorijs, quid verè aut falſò proditum ſit, de aſſenſione ſua conſtituere, ſic de opinione decernere facta aut non facta in hoc genere, nimis arrogans, neq; longè à dementia abfuturum ſit. Eadem audacia negatur externa vi ſeſe inſinuante, vel vaticinari in furore aliquos, vel alia mirifica facinora facere. Quid? totam oraculorum veterum facultatem nunquid contineri & efficacem eſſe tali qua-

quadam incitatione extraneæ naturæ oportuit? De quibus & aliorum complurium mentiones, & narratio verbosa atq; terribilis Lucani extat libro quinto. Qui verò fuêre apud veteres fanatici? quosq; ἐνθουσιῶντας & νυμφολήπτους, id est, vt opinor, Ceritos & Laruatos Latini vocarunt. An verò Thyades illas, non furore dæmonio instigatas: non Panicos tumultus excitatos simili væcordia censemus? Iam fascinorum & carminum, id est, ἐπῳδῶν, & eorum, quæ amuleta appellarunt, qualis Syllæ paruula imago aureola fuit Delphico Apollini consecrata, & annulorum, & quæ Græco nomine φυλακτὰ sunt, vires nullas vel fuisse vel esse, quis audeat affirmare, cum effecta tam multa esse & effici constet. Sigilla, quæ Græcis στοιχειώματα sunt, & his similia, quorum effectus ad siderum vires atq; potestates referuntur, non exagitabo, propter præclaram de Astrologica arte existimationem meam. Etsi me non fugit, superstitione esse & hæc & istiusmodi alia fœdissimè contaminata. Quam execrantes, naturæ veritatem studebimus asseri. De quo nunc plura dicere non

est

est opportunum. Olim tabe aut aqua, quam intercutem vocant, interemtorum liberi in aquam pedes demergere iubebantur, donec cõbureretur mortuus, vt tuti essent ab illis morbis. Et nuper medicamentum diuulgatum fuit, quo vulnus quamuis longè absentis sanaretur, si quis illo gladium aut telum certa obseruatione perunxisset, quo vulnus esset inflictum. Quid? quod carminib. certis consecrati ictus cogniti sunt mortiferi, quamuis longè absentibus, sed ita, vt si fortè aliqua salutari vi illam pestiferam vim propulsante muniretur is, cui strueretur calamitas, in machinatorem exitij conuerteretur interitus. Consulti aliqui de rebus ignotis, in crystallis conspiciunt ea manifestò, de quibus quæsitum fuit. Cuius rei exemplum, non possum facere, quin hoc loco recitem, de narratione optimi, pietateq; & prudentia præstantis viri Lassari Spengleri Norici, non ab alijs audita, sed à seipso cognita referentis. Fuisse aiebat sibi notum vnum ex præcipua familia Norimbergæ, virum honestum ac grauem, quem hac in mentione nominatim indican-

dum

dum non putauimus. Eum quodam tempore veniſſe ad ſe, & attuliſſe in ſerico panniculo inuolutam gemmam cryſtallinã figura rotundam, & dixiſſe, donatam ſibi illam fuiſſe à quodam ignoto, qui ſe ante multos annos de hoſpitio compellaſſet fortè conuentum in foro, quemq́; ipſe domum ſuam adduxiſſet, & triduò habuiſſet ſecum. Fuiſſe autem ab illo diſcedente & relinquente munus hoc ad ſignificationem grati animi, edoctum ſe cryſtalli vſum talem: Si qua de re certior fieri vellet, vt promeret cryſtallum, & puerum marem caſtum iuberet aſpicere, & ex eo perconctaretur, quid cerneret? Fore enim vt de apparentib. puero viſis omnia, quæ requireret, indicarentur. Atq; affirmârat hic, ſe nulla in re vnquam fuiſſe deceptum, & mirabilia de puerorum indicijs reſciuiſſe, cum ceterorũ nemo quiſquam aliud, quàm nitidam & puram gemmam intuendo videret. Quodam tamen tempore, cum grauida ipſius vxor puerum marem geſtaret in vtero, illi quoq; ſpecies in cryſtallo oblatas. Primò autem omnium formam viri ſeſe exhibere ſolitam,

tam, eo habitu quo tum communiter vterentur, in quo insigne esset capitis integumentum, cum fasciolis dependentibus, (Cappas nostri veteres lacinioſas vocarunt) & ita deinde apparuisse, de quibus interrogatum esset, cetera. Explicatisq; cunctis, illam rursum viri figuram discessisse, & euanuisse reliqua. Discedentem autem eam, quam diximus, figuram viri, visam sæpè vrbem perambulare, & ingredi in templa. Fuerat autem fama passim dissipata de illis indicijs, vt negantibus aut dissimulantibus suis delictum aliquod vulgò minarentur, se relaturos de eo ad illum in crystallo se ostendentem virunculum. Quin etiam compertum est, fuisse à doctis quibusdam de dubitationib. suis in litterarum studijs aliquando, nescio quid propositum, & in crystallo lectum. Sed his & alijs huiusmodi compluribus commemoratis, dixit Spenglerus hunc ad se aliquando venisse cum tali oratione: Arbitrari se tempus esse, vt à crystalli tali vsu tandem abstineret. Nam & sibi iam persuasum, eo ipso non leuiter peccari, & animi perturbati cruciatus grauis-

grauiſsimos ſe diu ſanè perpeſſum eſſe, itaq; decreuiſſe, ſe deinceps nihil cum illo experimento velle negocij habere, & tradere nunc ipſi quod accepiſſet, de quo meminiſſe poſſet, quid ſæpè ei demonſtraſſet, neq; neſciret, qui rumores in tota ciuitate percrebuiſſent. Permittere autem vt faceret de illo quod collibuiſſet. Tum Spenglerus (valde enim ſuperſtitiones oderat) collaudato eo, accepiſſe aiebat ſe cryſtallum, & in minutiſsimas partes contudiſſe, & vnà cum ſerico inuolucro in latrinam abieciſſe. Quid? quod hominis mortui caput, poſt certos conſecrationis ritus, & ipſum reſponſa dediſſe interroganti, non cuiuis illud quidem, ſed ſuo conſecratori tantùm, ſcimus. Atq; hæc ſunt in iſto genere præcipua atque inſignia, quo occulta ac futura explorantur. Cum alij alia aſſumant, quibus quaſi inſtrumentis prædictionum & cognitionis vtantur, ſpecula, vngues, cribra, paxillos. De quibus ſi ocij temporisq; tantum fuerit, noſtras rationes aliquando ipſi quoque exponemus. Quàm ſunt admirabiles nunc quoque effectiones, & olim ſortilegorum om-

nium fuerunt? Veniamus ad materiam ſermonum noſtrorum, & quid deprænſum prolatumq; fuerit nuper apud vos, conſideremus. Neq; eſt res iſta noua, ſed priſcis quoq; temporibus nota atq; vſurpata. Nomina tantùm & voces mutantur, cetera ſunt eadem. Vidi puer in ædib. paternis hominem nobis ex plebe familiarem, & audiui narrantem, ſe aliquando à vicina ſua fœmina, appetente conſuetudinem ipſius, inuitatum ſub veſperam ad lactis, more noſtræ gentis, ſecundas menſas. Cum ego inopinatò ianua fortè aperta, acceſsiſſem, cerno illam, inquit, de cultello in parietem infixo, lac copioſum emulgentem, cum me ipſa adeſſe non animaduerteret. Subduxi igitur me ſtatim clanculum, & poſtridie excuſaui, expoſtulante ea mecum, negotia mihi ſubitò tum oblata. Sagas appellarunt veteres genus iſtud. Ad quas pertinent ἐγγαστρίμυθοι & σεσομάντις circumferentes σύριγγας, ſecundum Platonem. Et Hebraicum nomen talium habere ſignificationem ſcientiæ atq; cognitionis perhibetur, quale in noſtrati quoque ſermone eis tribuitur. Sunt autem ſuperſtitioſæ

ſtitioſæ inprimis, & prædicentes futura, & conciliantes ſecundos euentus, aduerſos auerruncantes. Ad quæ ſacrificia, cæſarum pecudum & ſanguinis effuſio olim adhibebatur. De quib. diſputarunt Platonici, Spiritus illos nondum prorſus liberos à corporum mole, nidore cùm hoſtiæ adolerentur, & guſtatu ſanguinis delectari & capi. Quorum his temporibus nihil in vſu eſt, cum tamen obſequantur iſti ſpiritus voluntati magorum per alias ſuperſtitioſas obſeruationes. Illa verò qualia & quàm tetra fuerint, & quàm habuerint incredibiles effectiones, adeò, ne alia referam, vt formas hominum aliarumque animantum mutarent, ac mortuis quoq; corporibus reſtituerent vitam, eam ſanè, quæ non modò non vera, ſed ne certa quidem atque firma eſſet, quamuis breuis: Hæc, inquam, ſi excerpta de ijs, quæ paſsim extant, ſcriptis veterum exponere vellemus, permultæ eſſent cartæ complendæ eorum commemoratione, quæ à plurimis tradita ſunt. Oratij autem de Canidia, & Lucani de illa, quam Erichtho vocat, narrationes, & Apuleiana ſunt

in medio, quibus ad huius rei indicium nunc contenti esse poterimus. Vidi ego istum aliquando apparatum, qui nunc vsurpatur vniuersum, vincula, carcerem, tripodem. Nam Magi bonis spiritibus ministris vti se asserunt, itaque his aduersantes malos prius impediri includendo oportere aiunt. Id quod fieri volunt circumscriptione notarum certarum, & figurarum. Ad terrorem autem stringitur nunc quoq; ferrum, quod aciem illi spiritus huius reformident, propter id quod corporis instar eis adhæret. Atq; haud scio an Herculis & Alcestidos morti ereptæ fabula, poëtæ eorũ aliquid innuere voluerint, quæ à Magis mirabiliter effici viderentur. Sed de Sagis istis plura dicamus.

Scripsit Plutarchus Marium Imperatorem summum habuisse secum in excercitu, quæ gestaretur lectica, Syram mulierẽ Martham nomine. Hanc, quæ Romam aliquando venisset, & vaticinandi facultatem ostentasset, reiectam à Senatu fuisse. At illam in matronarum consuetudinem sese insinuasse, & Marij inprimis coniugis. Ad cuius pedes assidens in spectaculo quodam

dam gladiatorum, cum qui superiores quique inferiores futuri essent, prorsus respondente exitu, prædiceret, admirata, inquit Plutarchus, Marij coniunx ad maritum eam curauit deducendam. Qui ipsam præcipuo secum loco habuit. Prodibat autem ad rem diuinam faciendam, cum puniceo amiculo duplice infibulato, hastam gestans, cum limniscata corona. Alia omnino nunc & dicuntur & geruntur, ab ista misera & demente caterua superstitiosarum mulierum, siue hæ futura se prædicere posse, seu occulta atq; tecta indicare profiteantur, seu etiam mirabiles res efficere policeantur, vt tempestates ciere, morbos immittere & depellere, euolare aliquò ad cœtus familiares, in quibus Dæmones voluptuarij assint, & hilariter iucundeq; & vnà conuiuentur, & illis consuescant. Compertum est quendam nocte lanium, qui sunt ferociores plæriq; & audaciores, iter per nemus quoddam facientem, audijsse intra arbusta colloquia quædā lasciuiæ plena cum risu & iocis. Ibi ille, quemadmodū ipse postea recitauit, primùm consistere, deinde accedere propius atq;

introſpicere, & tandem etiam introire. Tum verò ſubitò euanuiſſe conſpectas ab ipſo humanas ſpecies virorũ & mulierũ, relictis menſis extructis, cum poculis & ceteris vaſis epularum & vini in quib. & ſcyphi argentei viſerentur: No voluiſſe autẽ ſe ita ſimpliciter diſcedere dixit, & veniſſe in mentem ſibi aliquid de ea copia, quæ ante oculos verſaretur, eſſe auferendũ. Sublatis igitur ſcyphis duobus, ita tum abijſſe. Manè verò ad Magiſtratum oppidi ſui ſcyphos eos detuliſſe, & quomodo illi ad ſe peruenijſſent, demonſtraſſe. Magiſtratus ſigna agnouit eorum, qui in conſilio publico conuenire deberent. Accerſit igitur eos, & ſcyphos cognoſcere iubet, ſi ipſorum ſint. Agnoſcunt, & eſſe ſuos aiunt, & mirari quid de ijs factum ſit. Iubet ergo domum eos ire & videre, nunquid ſuos fortè apud ſe reperiant. Eunt, non inueniunt. Redeunt, & ereptos ſibi eſſe indicant. Ita mulieribus ipſorum in ſuſpicionem venientibus, compræhenſæ illæ, & indicato ſodalitio præcipuarum in eo oppido fœminarum, mirificæ res & incredibilia facinora exquiſita cognitaq; fuerunt.

Idem

Idem aliquanto post Lanius, cum idem nemus sub vesperam fortè equo vectus transiret, & ad illum locum à se dudum disturbatæ societatis peruenissēt, obuiam habuisse se narrauit, equitem terribili specie, & impetum stricto gladio in se fecisse, cum quo, nam & se suum gladium eduxisse, fermè dimidium noctis dimicando consumsisse. Fuisse autem eam defatigationem suam, vt postridie decumbens, multis diebus in morbo lecto affixus iacuerit. Vidi arborem magnam & ramis densam, sed planè aridam ante oppidum, cuius in hac mentione nomen ponere non est visum, in qua conuenisse tale sodalitiū, compræhensæ in maleficio quædam indicassent. Iam suam aliquas Sagas formam in animalis alterius figuram mutasse, vt verbi caussa, felis, traditum scimus, Et hoc etiam, amputato talis felis membro, Sagam repertam esse mutilatam. Possem alia fœdiora & magis horrenda referre, sed rem esse notatam satis habemus. Tanta est enim exemplorum huius generis copia, vt eis toti plurimarum cartarum libri compleri hi quidem possent, sed enu-

merari illa non possent. De epulis quidem lautissimè collatis & appositis, non fingi quæ nunc quoq; memorantur, prouerbium testari etiam possit, Pasetis dimidium oboli, quod asis fermè erit precium. Habui notos homines, neq; leues, & non indoctos, qui affirmabant, se audijsse secum colloquentes disertè, eos, quos tunc interuallo multorum milium pass. abesse certò scirent. Proditum etiam scriptis veterum, & narratione multorum nostris temporibus cognitum est, fremitus, strepitus, sonos tam lætos quàm tristes, Musicas etiam symphonias, & citharæ modos, apparente nemine vspiam, venationesq; in siluis auditas, obiectos etiam errores, & excercitus visos monstrosos constat. Ad quæ antiquitas Satyrorum & Faunorum appellationes accommodauit. De Hieronymi autem Moroni summi aliquando viri in Mediolanensis principatus gubernatione, annulo loquente, non fabula, sed certa historia alibi à me est expositа. Iam illa parua dæmonia obeuntia domesticas operas, pueriliq́ue specie sese interdum ostendentia, &

siue

siue grauius offendantur, seu tractentur lautius & exquisitius, statim discedentia, cum præsente infortunio incolarum, si negare aliquis audeat obuersata, visa, audita, opera ipsorum manifestò deprehensa esse: Is licet nihil credat omnium verum esse, nisi quod ipse suis sensibus aliquando percepit: Et falsa confictaq; omnia, quæ de externis locis, animantibus, hominum moribus & vita traduntur: Et, quemadmodum Cicero ait, ea genera, quæ in rubro mari, Indiaue gignuntur, nulla esse dicamus, quia nunquam vidimus. Sit igitur nobis vel minus præfractis atq; duris, vel magis in his considerandis diligentib. & attentis, nequaquam dubium: Non modò naturalibus caussis multa mirabilia effici, vel esse potius omnia in vniuersa natura admirabilia non negligentibus neq; vecordibus, sed alia etiam accidere, quæ omnino aliunde, quâm de rerum natura oriantur, neq; huius quasi limitibus definiantur. Voco autem naturam in ijs, quæ subiecta sunt sensibus, motionis varietatem, & perpetuam agitationem, ordine & ratione congruentem, & com-

plectentem ortum occasusq;, & multiplicem in cunctis vniuersi mundi partibus mutationem. De quibus omnibus, cum intelligentia atq; sagacitas mentis humanæ plæraq; assequi comprehendereque nequeat, nihil vetat, quin qui disputare & argumentando perquirere plurima velint, ij quàm pauciſsimorum scientiam adipiscantur atque teneant. Quamuis enim ea, quæ oratione ad similitudinem veri deflectuntur, aures persuadendo compleant: non tamen his veritas etiam simul continetur, & firma stabilisq; sententia animis inseritur. Quod nõ eò pertinere volo, quasi eam sapientiæ partem, quæ naturam & causſas indagat improbem. Est enim ea in reb. humanis præclariſsima. Sed vt intelligatur, intra suos fines illam consistere debere, & ita perquirere occulta, ne euidentia conturbet atq; obscuret. Quod, qui veterũ disputationes, de rebus præsertim diuinis, quibus tractatus οὐσίας, id est, eius naturæ, quæ semper & simpliciter est, inpri mis continetur, leget, is non frustra ad moneri intelliget. Ex posterioribus Platonicis haud scio an existimatione valde

valde bona dignus sit Synesius. Is, vt aliorum commentationes omittam, quid? Eam vim, quæ est in hominis animo visorum atque imaginum, Græci φαντασίαν dixêre, spiritum ait esse animæ. Et hunc vel attentione conseruari atque vigere, nec non reddi meliorem, negligentia autem corrumpi atq; deprauari, & ita fieri, vt vel felicitatem assequantur homines, vel ad hanc certè appropinquent, quem finem esse religiosæ pietatis perhibet, cum alterum illud genus pœnas persoluat impietatis & contemtus numinis diuini, quod diuinitatis intra se particulam contaminarint. Cogitatio, inquit, & mentis intentio, acuit spiritum, & tenuem subtilemq́; efficit, qui talis idoneus deinde est ad diuinum spiritũ attrahendum cognatione sua, quo animus consuescat. Sed ille animi suus spiritus vbi densior atq; concretior, moleq́; sua coactus minor fuerit, quàm vt ea loca, quæ fabricatrix hominum prouidentia assignauit, complere possit, (sunt autem ventriculi isti quidam in cerebro) ibi, cùm natura in nulla re admittat vacuitatem, spiritus tunc malus

malus ingeritur. Quid autem non acciderit? aut non perpetiatur animus? in familiari vsu tam diri & execrandi mali. Hæc atq; huiusmodi ferè Synesius disserit. Aliorum autem his similia qui volet, ipse cognoscat, quibus plærisq; omnibus diuina humanaq; confundi animaduertere licebit. Quid autem obsecro dicemus, de ijs ipsis, qui supra modum quasi acuere cogitando, & à terrena concretione, quemadmodum istis placet, quàm longissimè abstrahere illam imaginum vim conati fuêre, cum ex ipsis, instinctus malorum spirituum in plurimis plurimum loci inuenerit. Sed de his verba facere supersedebimus. Redeoq; ad rem: Et esse aio aliquid, de quo humana sapientia veritatem nunquam reperire potuerit. Quod in hoc mundo excerceat vim potestatemq; suam mutando, peruertendo, distorquendo cursum naturæ. Vno omnino æterno & præpotente numine diuino, (qui est solus & verus Deus, is, quem Christiana religio colit atq; veneratur & adorat) gubernante & moderante & regente cuncta, ita quidem, vt eius voluntati inseruiant

atq;

atq; præstò semper sint tanquam ministri, spiritus boni: permittente autem & concedente eo, mali spiritus multifariam exagitent, labefactent, compellant, destruant, lædant, perdant creata atq; condita ab ipso. Quorum tamen conatus longius progredi nequeunt, quàm patiatur Deus æternus. Patitur autem hic, & sinit interdum quasi laxando vincula, quibus astringuntur, excurrere sæuitiam illorum eò vsq;, vt, qui considerant, mirificè perturbari soleant. Compertum est interitum calamitatemúe, quæ magica superstitione strueretur vni, conuertisse in alterũ: atq; etiam exitum pestemq́; paratam hominibus ad bestias redundasse, sic tamen, vt interim homines quoq; corriperentur. Quale est, quod exempli caussa breuiter duxi referendum, cum huiusmodi narrationes crebras huic nostro scripto inserere non sit consilium. Quodam in oppido venit Iudæus ad mulierculam anum, & petit ab illa, acquirat alicunde sibi lac muliebre, promittitque donum, si afferat. Hæc sibi notam alteram accedit, & rem ei exponit, quidq́; in mentem venerit sibi,

sibi, vt Iudæus eludatur, & donum tamen accipiatur, indicat. Habebat mulier illa scropham lactantem, eam mulgent, & lac defertur ad Iudæum. Qui id quod statuerat cum cœpisset agere audit grunnitum, & intelligit quid factum sit. Atq; tota ea in vicinia sues fœda tunc lue interierunt. Re autẽ cognita, & de Iudæo & illis mulierculis supplicium tanquam veneficis in dolore recentis damni, quod homines eius regionis fecerant, sumtum fuit. Quod autem attinet ad naturam spirituum quorundam eiusmodi, vt tametsi intra corporum moles non includantur, cum libeat tamen speciem atq; figuram corpoream circumdare sibi possint, Hebræorum scripta & esse tales, & horum discrimina planè tradunt. Quibus tanquam celestibus oraculis, & Dei ipsius verbis fides est adhibenda. Non autem hoc tantùm à nobis affirmatur, qui Christiani perhibemur, quorum religio autoritate & fundamento illorum scriptorum nititur, sed veteres etiam Græciæ sapientes crediderunt, cum audijssent istius populi in venerando numine diuino pietatem & obseruantiam

tiam ſuorum quoque Deûm reſponſis celebrari. Ex quibus verſus huius ſententiæ refert Euſebius:

Soli Chaldæi ſapientiam habentes & Hebræi,
Quippe Deum proprij generis caſtè venerantes.

Sed teſtimonijs iſtiuſmodi nihil eſt opus ſacris diuinisq; ſcripturis. Quibus religioſa fides ſimpliciter aſſentiri debet, curioſitas animi adminicula, quæ quaſi fulciant illa, quærere non debet. Atq; Hebræi caſtos & ſanctos & illuſtres Dei æterni voluntati obœdientes ſpiritus, excellente appellatione Nuntios vocarunt (Græco nomine hi Angeli ſunt) ſignificantes bonos Spiritus inſeruientes iuſsis diuinis, cui ſemper ad obtemperandũ & fungendum muneribus ſuis præſtò ſint. Vnde eos & λειτουργικὰ πνεύματα dici inuenimus. Quinetiam filium Dei patris æterni λόγον σωαΐδιον, exequentem arcani conſilij decretum atq; ſententiam de humani generis & naturæ rerum ortarum inſtauratione, Hebraicam Eſaiæ de ipſo mentionem conuertentes in Græcum ſermonem ſeptuaginta Hebræi, vt aiunt, μεγάλης βουλῆς ἄγγελον nominarunt. Atque hi ſunt cætus celeſtes & æthe-

ætherij & beati. Contrarij autem & hoſtes Dei æterni, inprimisque filij Dei inimici & aduerſarij ſpiritus, prolapſi per impietatem à naturæ ſuæ integritate, & tenebricoſi, & mali, & huius mundi principes vocantur, infelices, & condemnati ad ſupplicia ſempiterna caliginis horrendæ, quàm Abyſsi nomine ſignificarunt, reſpondente ei Tartari Græcorum voce. Atq; eius caterua quaſi caput Hebræi Satanam, Græci Diabolũ appellarunt. Et Spiritus iſtos religioſa pietas Dæmonas atq; dæmonia, interpretans Hebraica ſignificantia alicubi commentitiam diuinitatem, quæ diuinitùs nequaquam eſſet, quaſi deridendo ficta numina aliarum gentium, alicubi calamitatis damnorumq́; & omnis miſeriæ cauſſam, alicubi etiam vim quandam impetu ſuo quaſi inuolantem, & tanquam fulmen percellentem atq; vaſtantem. Vtriuſque autem generis ea vis ac poteſtas eſt, vt volente atque permittente Deo æterno, cùm non exhibendo offerendóq́; ſe conſpectui forma cadente ſub ſenſus, tum quam placuit figuram oſtendendo, mirificas res efficiant. Atq; ante id tempus,

pus, quo patefacta est arcana sententia Dei de genere humano liberando & reconciliando, quando secundum hanc Filius Dei in hunc mundum se demisit, & sibi naturam humanam ita copulauit, vt natus in terris virgine matre, vnus Iesus verè esset Deus & homo: ante hoc, inquam, tempus, pestiferum ac malum ac sceleſtum genus spirituũ, quos dæmonas & dæmonia appellari diximus, maiorem quasi dominationem quandam habuit in homines, & his audacius licentiusq; illusit. Quippe cum fraudes omnes occultæ & tectæ essent, atq; sub diuinitatis opinione laterent, adeò vt consuetudines cum his sexus vtriusq; prædicabiles & glorioſæ haberentur. Vt (ne singilatim multis recensendis, longior sim, id quod modò vitare constituimus) cum nymphis, & ijs quæ Deæ perhiberentur concubitus: Et tam celeſtium quàm terreſtrium marinorumq; numinum cum mortalib. mulierib. Hinc enim illud:

Huic mater quamuis atq; huic pater aſſit:
Orphi Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Et hoc:

Regina ſacerdos

sibi, vt Iudæus eludatur, & donum tamen accipiatur, indicat. Habebat mulier illa scropham lactantem, eam mulgent, & lac defertur ad Iudæum. Qui id quod statuerat cum cœpisset agere audit grunnitum, & intelligit quid factum sit. Atq; tota ea in vicinia sues fœda tunc lue interierunt. Re autẽ cognita, & de Iudæo & illis mulierculis supplicium tanquam veneficis in dolore recentis damni, quod homines eius regionis fecerant, sumtum fuit. Quod autem attinet ad naturam spirituum quorundam eiusmodi, vt tametsi intra corporum moles non includantur, cum libeat tamen speciem atq; figuram corpoream circumdare sibi possint, Hebræorum scripta & esse tales, & horum discrimina planè tradunt. Quibus tanquam celestibus oraculis, & Dei ipsius verbis fides est adhibenda. Non autem hoc tantùm à nobis affirmatur, qui Christiani perhibemur, quorum religio autoritate & fundamento illorum scriptorum nititur, sed veteres etiam Græciæ sapientes crediderunt, cum audijssent istius populi in venerando numine diuino pietatem & obseruantiam

tiam ſuorum quoque Deûm reſponſis celebrari. Ex quibus verſus huius ſententiæ refert Euſebius:

Soli Chaldæi ſapientiam habentes & Hebræi,
Quippe Deum proprij generis caſtè venerantes.

Sed teſtimonijs iſtiuſmodi nihil eſt opus ſacris diuinisq; ſcripturis. Quibus religioſa fides ſimpliciter aſſentiri debet, curioſitas animi adminicula, quæ quaſi fulciant illa, quærere non debet. Atq; Hebræi caſtos & ſanctos & illuſtres Dei æterni voluntati obœdientes ſpiritus, excellente appellatione Nuntios vocarunt (Græco nomine hi Angeli ſunt) ſignificantes bonos Spiritus inſeruientes iuſsis diuinis, cui ſemper ad obtemperandũ & fungendum muneribus ſuis præſtò ſint. Vnde eos & λειτουργικὰ πνεύματα dici inuenimus. Quinetiam filium Dei patris æterni λόγον σωαΐδιον, exequentem arcani conſilij decretum atq; ſententiam de humani generis & naturæ rerum ortarum inſtauratione, Hebraicam Eſaiæ de ipſo mentionem conuertentes in Græcum ſermonem ſeptuaginta Hebræi, vt aiunt, μεγάλης βουλῆς ἄγγελον nominarunt. Atque hi ſunt cætus celeſtes & æthe-

ætherij & beati. Contrarij autem & hostes Dei æterni, inprimisque filij Dei inimici & aduersarij spiritus, prolapsi per impietatem à naturæ suæ integritate, & tenebricosi, & mali, & huius mundi principes vocantur, infelices, & condemnati ad supplicia sempiterna caliginis horrendæ, quàm Abysi nomine significarunt, respondente ei Tartari Græcorum voce. Atq; eius cateruæ quasi caput Hebræi Satanam, Græci Diabolũ appellarunt. Et Spiritus istos religiosa pietas Dæmonas atq; dæmonia, interpretans Hebraica significantia alicubi commentitiam diuinitatem, quæ diuinitùs nequaquam esset, quasi deridendo ficta numina aliarum gentium, alicubi calamitatis damnorumq; & omnis miseriæ caussam, alicubi etiam vim quandam impetu suo quasi inuolantem, & tanquam fulmen percellentem atq; vastantem. Vtriusque autem generis ea vis ac potestas est, vt volente atque permittente Deo æterno, cùm non exhibendo offerendòq; se conspectui forma cadente sub sensus, tum quam placuit figuram ostendendo, mirificas res efficiant. Atq; ante id tempus,

pus, quo patefacta est arcana sententia Dei de genere humano liberando & reconciliando, quando secundum hanc Filius Dei in hunc mundum se demisit, & sibi naturam humanam ita copulauit, vt natus in terris virgine matre, vnus Iesus verè esset Deus & homo: ante hoc, inquam, tempus, pestiferum ac malum ac sceleſtum genus spirituũ, quos dæmonas & dæmonia appellari diximus, maiorem quasi dominationem quandam habuit in homines, & his audacius licentiusq; illusit. Quippe cum fraudes omnes occultæ & tectæ essent, atq; sub diuinitatis opinione laterent, adeò vt consuetudines cum his sexus vtriusq; prædicabiles & glorioſæ haberentur. Vt (ne singilatim multis recensendis, longior sim, id quod modò vitare constituimus) cum nymphis, & ijs quæ Deæ perhiberentur concubitus: Et tam celestium quàm terrestrium marinorumq; numinum cum mortalib. mulierib. Hinc enim illud:

Huic mater quamuis atq; huic pater aſſit:
Orphi Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Et hoc:

Regina ſacerdos

Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem. De quibus disputatio copiosa extat in Plutarchi Numa.

Quid de familiaritate quadam talium spirituum loquar? qua & lætatos quosdam, & rebus difficilib. adiutos, quosdam etiam ab irritatis atq; offensis afflictos, attritosq; esse accepimus. Quæ quidem eiusmodi fuêre, vt quasi concesso quodam iure in orbe terrarum regnarent spiritus illi, oppressis hominum mentibus atq; corporibus, vt neq; iudicium, neque intelligentia, neq; ratio, neq; voluntas, libertatem integritatemq; haberet, & sensus affectionesq; corporis arbitrio alieno seruirent. Nato autem filio Dei in terris, cum ille ita adiunxisset diuinæ naturæ suæ humanam nostram, vt ambæ in vno homine Iesu copularentur, qui & destinatus ab initio, & diuinis oraculis promissus fuerat, rex omnium gentium ex Dauidica stirpe in terris ortus, nomine Hebraico Messiæ, quem Christum Græci interpretati sunt: In quo ipso etiam improbitas atq; malitia spirituum istorum peruertendo & euertendo nihil omisit omnium, quod vel clam

clam machinari, vel apertè moliri poſſent. Atque ab his cauſſa tandem data fuit mortis, qua per ſummam contumeliam tolleretur è medio. Qua quidem morte eorum vis & poteſtas peremta eſt, & mortuus hic atq; ſepultus, cùm mox diuina potentia excitatus reuixiſſet, vitam amiſſam reconciliata Dei æterni gratia hominibus reſtituit. Tunc igitur & potentia iſta fracta, & regnum ereptum, & in contrarium cuncta fuêre conuerſa. Neq; me fugit non defuiſſe ex veteribus quoq;, qui & conſuetudinem & congreſſus illos, de quibus diximus, ſpirituum iſtorum, vel fuiſſe exiſtimarent errores quoſdam apprehendentium vera pro falſis, & viſa inania pro rebus certis, vel obtendiſſe flagitijs ſuis iſta vtrunque ſexum quaſi vela, vt vitia aliquibus oblata, aut ſuſcepti liberi honeſtarentur, & carerent probro. Scio & hoc traditum, præſtantiam potentiæ, virtutis, ſapientiæ, eſſe diuinitatis nomine commendatam. Atque fateor & olim fuiſſe & nunc eſſe præſtigiarum & inanitatis atque fallaciarum in his omnibus plurimùm, neque non eſſent in promtu

argumenta, quib.hoc demonſtraretur. Sed omnino excercuiſſe vires ſuas efficacitate manifeſta in hominibus Spiritus malos, & id feciſſe aliquando audacter atque apertè, negari non poſſe exiſtimo, tam euidente ſua coniunctione cum hominib. verſando, quàm occultiore in vſus vitæ huius implicatione. Quales totius eius, quam diuinationem vocarunt, euentus fuêre. De quibus vt ſupra dixi, longa enim & varia multiplexq́; diſputatio eſt, aliàs fortaſſe aliquid non prorſus vulgare neq; tritum aut commune diſſeremus. Verùm nunc mendacijs & fraudibus detectis, & tyrannide illa malorum Spirituum deleta, plæraq; exoleuerunt, vſque adeò vt penitus ignorentur, in quibuſdam adhuc experitur, quamuis debilitatas atq; fractas vires illa turba malorum Spirituum. Id quod ad quandam quaſi palæſtram humanorum ſtudiorum, vt periculum fiat fidei conſtantiæq́;, certo diuinæ prouidentiæ iudicio permittitur. Eſt autem in omnibus pernicies & interitus neq; dubius neq; obſcurus, in quibuſdam etiam ludibria nugatoria ſunt atque ridicula.

Quis

Quis enim, qui istorum spirituum vsum quempiam admisit, non cum suo damno atq; exitio aliorum detrimenta atq; mala ferè coniunxit? An autem magis ridiculum carmen putandum illud, quo repressa asini vrina eliceretur, ἀλέκτωρ φίνῃ καὶ οὐκ οὐρεῖ, μύξος οὐ φίνῃ καὶ οὐρεῖ, innumerabilibus veteribus alijs & nouis horum temporum? Sed quicquid adhuc conceditur potestatis istis spiritibus ad malefaciendum, id in bonum pijs conuertit, qui ex eo ipso perspiciunt & ita commonefiunt, quantum illi nunc etiam in mundo hoc possint, & ex apparentibus cùm abstrusas insidias tum in animis labes, quarum autores hi sint, animaduertunt. Sunt sagarum & veneficorum agitationes & impulsus vehementes atq; formidandi, Sunt vexationes horribiles eorum, in quorum corpora penetrauit extrinsecus spiritus malus, quos δαιμονῶντας vocant Græci, cuius pestis ne beluarum quidem genus expers esse scimus. Sed multò deteriores & sæuiores & pestilentiores sunt motus incitationesq; animorum ad flagitia atque scelera, quæ nulla nisi instinctu talium spirituum & voluntatis

improbæ atq; prauæ obsequio suscipiuntur ac fiunt. Atque antiquitas aliarum gentium omnium, excepto populo Iudaico, vt Dæmonum notionem, cum Dei notione confudit, & opera amborum permiscendo implicuit opinione sua, sic ad effectiones in rebus actionibusq́; humanis quascunq;, voluntatis arbitrijq́; assensionem applicuerunt. Itaq; modò in Deos, modò in homines, cuentuum causſas à sapientibus veteribus conferri videmus. Vnde hoc factum:

Non mihi tu causſa es, Dij sunt mihi causſa malorum.

Et istud:

Nemo hominum est autor sibi, Cyrne, boniúe, maliúe,
Sed causſam sortis dant vtriusq; Dei.

Contra verò hoc, quemadmodum & ipsum sicut priora nos conuertimus:

Cur tamen accusant mortales numina celi?
Autores etenim perhibent nos esse malorum,
Illa sibi his præter fatum accersentibus ipsis.

Et istud:

Cuncta euersa iacent et perdita. Nec tamen horũ
Causſam esse ex aliquo, Cyrne, putato Deo:
Sed sua vis, mens lucri auida, atq; iniuria multos
Priuauitq; bonis, implicuitq; malis.

Ex

Ex quibus & alijs huiuſmodi, quæ paſſim occurrunt legentibus ſcripta veterum poëtarum inprimis, facilè patet, & ſtatuiſſe illos eſſe aliquam vim impellentem ad mala, & tribuentem bona? eam tamen vim naturæ humanæ ita quaſi afferri, vt adhibeatur ad rationem, qua homines ſunt prædiți, & voluntatis alliciat obſequium ab arbitrio ipſorum. Sed cum de dæmonibus verba facere cœperimus, de bonis & ſalutaribus hominum conſilijs actionibusque, & euentis proſperis ac felicibus non habebitur iam à nobis oratio prolixior. Dæmonas autem & cauſſas dare malorum ſemper, & eſſe pernicioſos hominibus, quamuis conatu & effectu diſsimili & inæquali, vel ſumimus tanquam conceſſum, vel aliquo etiam modo demonſtratum, neq; iam vlli magnopere eſſe dubium confidimus. Vt autem omnia mala, ſic iſtud quoq; eò eſt deterius atq; periculoſius, quò occultius ac latentius. Diſtribuitur autem variè, nam etiam ſpiritualis illa prauitas quaſi prouincias ſuas habet, quas gerit diuerſas. Neq; omnes omnia tentant & conantur, cum vniuerſi

quidem naturæ bonitatem corrumpere, & huius proprietate ad perniciem abuti ſtudeant. Alij igitur horum ad alias turpes, flagitioſas, ſceleratas actiones adigere homines ſolent, vt ad quaſque aliquos procliues eſſe intelligunt, & ſingularum occaſiones offerunt: in quibus plurimùm momenti ad lapſus & peccata eſſe norunt. Et vtuntur ad ea ſenſuum cogitationumq́; adiumentis. Eſt alicuius ingenium mollius & magis quaſi tenerum, in hoc libidinum flammæ accenduntur. Sunt alij indulgentiores in ſeſe, & delicijs capiuntur, horum ad fruendum voluptatibus ijs, quibus corpus & cuticula, vt dicitur, bene lauteq́; curatur, cupiditates incitantur. Aliorum natura eſt aſperior, & ſunt animi motus vehementes & acres, & ad iracundiam propenſi, hi impelluntur ad labefactandam Rempublicam, aut vim iniuriamq́ue faciendam alijs, ad rapinas atque cædes. Quidam, quorum ingenium eſt triſtius, cogitationesq́ue ſunt profundiores, ad machinationes etiam occultiores & magis horribiles conatus inſtigantur, adeò, vt aliqui horum ſibi inter-

interdum ipsis manus inferant. Iam inertes & lenti velutiq; somniculosi, in quæ flagitia prolabi, & in qua fœditate aliquando quasi porcorum genus volutari cernuntur? Ad quæ omnia ab istis maleficis spiritib. naturæ quædam constitutio, & materiæ in primo ortu veluti coagmentatio assumitur, pro eo atq; in hoc sanguinis fluxio liquidior est, in illo bilis flaua copiosior, in altero atra abundantior, in vno quopiam pituita tenacior. Vnde ad elationem superbiæ, ad libidinum flammas, ad iracundiæ furores, ad luxuriæ dissolutionem, ad socordiæ negligentiam data occasione, opus, ita consentiente voluntatis prauitate cum spiritus mali artificio, facilè efficitur. Quia sunt autem animorum duo præcipua discrimina, vnum magnorum & excellentium, paruorum & humilium alterum: In hoc genere peccata communia ferè designantur, & sunt delicta mediocria, auaritiæ sordes, aut contra, indiligentia atq; profusio, procliuitas ad iucunda, vt secundum subulcum Homericum habeant homines:

Quod comedantq; bibantq;.

Et vt ait Latinus poëta,

Viuant in amore iocisq;:

Deniq; ea, quæ Comœdia ob oculos ponit. Magnæ autem naturæ & ingenia alta, honorum imperijq; & potentiæ cupiditatibus flagrantia, aggredi & patrare audent atrociora, secundum hoc: *Maior mihi moles, maius miscendum est malum.* Et similia, quibus Tragœdiæ sunt refertæ. Iam in ijs, quorum ad feritatem quandam humanæ naturæ modus detortus est, perspicuè cernitur vis externa quædam peruertens rationem, & ad immanitatem animos adigens, vt in Thyestеis epulis, & fraude mortifera Antiæ & Phædræ. Et tyrannicæ crudelitatis facinoribus, qualia Phalaridis, Caligulæ, Neronis, Heliogabali perhibentur, & aliorum complurium, & superiore ætate cuiusdam dynastæ in Mysia Dracolæ. Quis autem non intelligit? non simpliciter humanam esse posse vel audaciam ac temeritatem, vel desperationem & exanimationem eorum, qui ipsi sibi violentas manus afferunt, quique Respublicas atque ciuitates nefarijs consilijs actionibusque lacerant & euertunt. Idem dici potest

test de ea impuritate, cuius meminisse etiam nefas putatur, & cogitatione pudici erubescunt. Iam corrumpentes veritatem inprimis rerum diuinarum & sanctæ religionis, & huius lucem obscurantes, & commentationibus callidis, & fallacijs argutiarum, nouas absurdasq; opiniones spargentes, & disserendo confirmantes, habere humanæ improbitatis magistros, arbitrari nemo debet. Itaque ad talia antiquitas adhibuit Atas, & Furias, & Diras, Et compertum est, ostendisse sese aliquando specie quoq; manifestos Dæmonas, suasores autoresque scelerum capitalium, atque nefariorum, in quibus præ ceteris sectæ, sacrilegia, parricidia, incendia notata sunt, vt cum vnius interitu multorum clades exitiumq; coniungeretur. Cuius generis horribile exemplum cognitum est nostra ætate conflagrationis oppidi, cui nomen Schiltachium, sed sunt & alia quoque in medio. Verùm quamuis iusto iudicio Dei æterni istud permittentis fiat, vt quasi aperto Marte, quemadmodum dicitur, homines oppugnet Dæmonum violentia, & hæc terribilis

sit

sit atq; sæua, non minus tamen eiusdem Dei æterni animaduersione hoc concedente, insidiosæ & fraudulentæ aggressiones illorum, vel magis etiam metuendæ sunt, & grauiores plagas impingere solent, cùm illa vis occupat tanquam arcem naturæ humanæ, & in suam potestatem ditionemque redigit mentem, qui fons est rationis consiliorumq;, vnde actiones in hominum vita omnes manant. Quàm enim est miserum & deplorandum accidere hoc, quod ex Tragœdia affertur? Vt lædente & vrgente aliquem Dæmonum ira:

Primùm omnium ex animo auferatur sanitas
Mentis bonæ, in prauam hac versa sententiam,
Peccare sese vt ipse non intelligat.

Hæc enim exitiosa est peruersitas, aut ruere contemtu atque contumacia in peccatis, aut astutam malitiæ ad hæc quasi fulcienda defensionem adhibere. Itaq; prisca religiosæ pietatis consuetudo, non solùm in ijs efficacem perhibuit esse vim dæmonum, (Græco hos verbo ἐνεργουμένους appellarunt) qui furore bacchantes insidentiũ in sese dæmonum stimulis manifestè concitarentur, sed in patrantibus quoq; & excercentibus

centibus ea, quæ religioſæ pietatis vſus & Chriſtiani nominis ſanctitas auerſatur atq; damnat. Verùm de his, ſi quis ea explanare vellet, alia atq; noua ordienda eſſet oratio. Et nos iam extra propoſitum exceſsimus, & fuimus verboſiores quàm in præſentia deberemus. Vt igitur ad rem reuertamur: Tuæ, Albine Adriane, narrationes, illas cogitationes, quas expoſui, commouerunt, easq; vt ſcripto complecterer, ne quaſi euaneſcerent, cùm alia me impulerunt, tum quod eas ipſas abs te legendo cognoſci cuperem. Recordatus autem inter iſta fui diſputationū quarundam huc magnopere pertinentium Plutarchi Cheronenſis viri docti, & varia multipliceque rerum præcipuarum ſcientia inſtructi, compræhenſarum potiſs. libellis tribus. Vno cuius titulus eſt de Iſide & Oſiride (quem in latinū ſermonem conuerſum eſſe his diebus proximis primùm audiuimus,) Altero de oraculis quæ defeciſſent, & tertiō de conſecrata figura EI Delphis. Ego quidem cœperam illum de oraculorū defectu, in latinū ipſe quoq; vertere, & magno labore ꝓpter exēpla cùm mendoſa

doſa tum mutila, iam interpretatione mea dimidiatum libellum confeceram, cum amici eundem hunc ab Adriano Turnebo conuerſum afferunt. Repreſsi ſtatim calamum, & manum ſuſtuli, & auidè percurri Turnebiana, illuſtrata etiã præclara appendice. Atq; fuit mihi inter alia hoc periucundũ, quod vtriuſque noſtrum coniecturas & rationes in plurimis eaſdem fuiſſe perſpiciebã. De opera autem interpretationis illius, nõ eſt opus à me dici aliquid. Cum iampridem ea celebritas ſapientiæ, doctrinæ, eruditionis Turnebi, vt prædicatione altera nequaquã indigeat, & bonarum artium ipſe ſit Princeps, de quo hoc poſſe videor verè commemorare, quod de fratre ſuo Comicus adoleſcens ait: *Nunquam ita magnificè quicquã dicam, id virtus quin ſuperet ipſius.* Sed hoc iam nõ agitur. Curauimus autẽ iterum apud nos modò exprimendã interpretationẽ iſtam Turnebi, quòd exempla non facilè reperirentur, & addidimus noſtram de illa Delphica figura, luctati quidẽ non leuiter cum pleriſq; locis, nõtam per ſe ad intelligendũ difficilibus, quàm propter menda & librariorum errata obſcuris,

scuris, vnde esset tamen aliquid eruendum & pferendum. Recordor autē me audijsse ex magistro meo Ricardo Croco Britano, qui quosdā libellos Plutarchi explicare nobis pueris solebat, editioni illi scriptorum Plutarchi in officina Manutiana præfectum Cretensem quendam Demetriū, qui videret vt illa ab operis diligenter & accuratè exprimerentur: Eum igitur audire memini Crocum narrantem, maxima cum negligentia atq; incuria prouinciam istam gesisse, hominem neq; laborioſum, & leuiusculum. Ad id tum vt puer (annus enim iam à Croci disciplina ætatis meæ agitur quadrageſimus octauus) non admodum animum reuocaui, vt cogitarem quale esset, sed postea nimis verum esse cum indignatione legens scripta illa comperi: Neq; temere esse aut falsò à Croco dictum, vel ex epistola, quam Demetrius iste præposuit libro edito, deprehendi, Est enim illa mendosè expressa. Quis autem suspicari possit secundum Epigramma Græcū?

καπῶς κεχρημένον ἄνδρα
τῆς ἰδίοις ἔθ' ποσὶν ἐν ἀλλοτρίοις.

Sed de his satis, quæ cùm in mentem

tem mihi ista scribenti veniissent, non volui omittere. Quod autem ad rem ipsam attinet, habes, Adriane Albine, meam sententiam de ijs, quæ & tractata sunt sermonibus nostris te præsente, & his Plutarchi libellis disputantur, habes operam quoq; interpretationis. Quibus quædam notatione animadversioneq́; & consideratione liberali digna adiecimus. Quæ omnia tibi grata acceptaq́; futura esse viro ei, qui sapientiam erudita doctrina vel comparandam vel augendam putasset, certò scio, alios, si qui illa fortè legerint eruditi & docti, confido studium diligentiæ meæ non esse improbaturos. Sed nunc deinceps Plutarchi scripta legendo cognoscantur, prius quidem Adriano Turnebo, posterius verò me interprete. Et illud vt omnibus, quemadmodum dicitur, numeris absolutum, hoc nostrũ vt non prorsus contemnendum atq; vulgare, neq; etiam, vt dicam aliquid glorioſius, numerandũ in multis. De quo tamen & tuum & aliorum iudiciũ futurũ est, & esse debet, neq; me plura addere oportet. Hoc igitur ea, quæ præfari visum est, fine cõcludantur.

PLV-

PLVTARCHI CHAERONEI DE ORACVLORVM DEFE-ctu Liber, Ab

ADRIANO TVRNEBO LATINITATE DONATVS, & annotationibus quibusdam illustratus.

ILLVSTRISSIMO CARDINALI CAROLO

Lotharingo, Adrianus Turnebus S. P. D.

NVllius ferè rei, Cardinalis illustriss. homines maiore studio & cupiditate ducuntur, quàm futura præsagiendi: humanusque animus, cum præterita recordando complectatur, præsentia sensu vsurpet, augurio etiam posterum & consequens prænoscere conatur. Sed verendum est, ne, quemadmodum hominibus immortalitatis irritum desiderium est, (ea enim conditione nati sunt vt moriantur) ita præsensionem istam & præsagitionem falsò sibi promittant, cum sine Dei beneficio, quod ante pedes est, vix videre possint. Ea certè res magnæ fraudi est & hominib. & religioni, cum

homines improbi partim quæstu capti, partim, vt credo, malorum geniorum furijs agitati, nostra illa futuri auiditate ad artificia diuinationum condenda abutantur, non humanis tantùm legibus interdicta, verùm etiam sacris effatis improbata. Nec verò cessat nefarius ille genius errorem propagare, sed se interponit, & partes suas diligenter agit, infinitaq; genera diuinandi & vaticinandi suggerit, & vel noua excogitat, vel vetera renouat, vt illo errore implicati nec Deum agnoscamus, nec colamus. Itaque quis non ægerrimè ferat eas tenebras olim salutaris Euangelij luce fugatas, ac tot sæculis intermortuas, hoc potissimùm tempore reuiuiscere? Quis enim non hodie plus prope fidei mathematicis & Chaldæis, quam sacris libris habet? Quis non ex hora sua seriem euentorum suorum trahi putat, & rectè facta ac vitia sideribus potiùs quàm sibi asscribit? Quinetiam, quod omnem impietatem superat, eò progressus est cuiusdam vesanus & sceleratus furor, vt horam natalitiam Seruatoris nostri describeret, & eum siderib. subijceret, cuius numini non modò sola terrarum, verùm etiam rerum summa paret. Nos tamen ita dormitamus & stupemus, vt eiusmodi scelera impunita dimittamus, quæ si saperemus, acerrimè vindicanda erant. Quanquam si quid vnquam veri prædicerent, ac non omnia impu-

impudenter mentirentur, ignoſci nobis poſſet, qui eos ferremus: nunc cùm ita è mendacio toti concreti ſint, vt prodigij ſimile eſſe videatur, ſi quid aliquando veri eis excidat, quid cauſſæ dicemus, cur eos conſuli ſinamus? Liquet mihi iurare, de Syluio, quo & quanto viro, dij immortales? audiuiſſe me, non magis fidem aſtrologis iſtis habendam, quàm hominibus vaniſsimis & fallaciſsimis eſſe. Vt enim, mihi dicebat, ſemel ſtatuas, quantum eis tribuere debeas, quid dicam attende. Tantum abeſt, vt natio iſta hominũ euenta vitæ prædicere queat, vt ne de anni quidẽ conſtitutione & habitu, qui tamen certiores habet vices, ad verum decernere quicquam poſsit, præter ea quæ vel idiotis nota ſunt. Nam præter quadripartitas anni commutationes omnib. notas, non dubitem reliquarũ prope rerũ præſenſionem eis detrahere. Sæpenumerò quo fidem artis illius experirer, ſtatim anni initio in ephemeride, vbi pluuium illi ſcribebant, ego ſudum notaui: vbi illi tranquillum, ego ventoſum: vbi illi ſerenum, ego nubilũ: & euentum obſeruaui, annoq; vertente ſummã feci vtriuſq; prædictionis, ac me multis partib. meliorem & certiorem aſtrologũ reperi: vt ſcias qualis illa ſit ars, quam qui negligat & irrideat, artifex propemodũ videri queat. Mihi quidem, Illuſtriſs. Cardinalis, mirum eſſe videtur, quenquam hodie eorum eſſe,

qui post anni superioris prædictiones, cui similem ætas nostra non vidit, frontem suam hominibus ostendere ausit. Totus eius anni status eluuiones & inundationes habuit: assiduis imbribus agri natarunt: segetes partim mersæ interierunt, partim in pabulum eluxuriarunt: vuæ anni humore & frigore non maturuerunt. nihil horum ante exitum astrologi viderunt. Nihilo spectatior eorum hoc anno fides fuit, qui siccitate exuperat, vt ille humore redundauit: ac, vt opinor, ne inducias quidem hodie haberemus, nisi sæuissimum nobis bellum essent in hunc annum minati. Hæc ego breuiter disserui contra eam diuinationem, quam hodie maximè vigere intelligo: alia etiam infinita diuinandi genera, ridicula, superstitiosa, anilia, inepta, antiqui susceperant, quorum vanitas vetustate euanuit, à stultis quibusdam hodie reuocatur. Vnum ex ijs erat in oraculis positum, magna diuinitatis opinione, cùm in ijs deorum oratio inesse putaretur. Atqui ea non deorum, sed vel dæmonum, vel impostorum, vt Eusebius ait, oratio erat, ad hominum captionem & fraudem fallaciter comparata. Proinde oracula quoq; tandem extabuerunt, & magnam hominibus eruditis, in ijsq; Plutarcho, quæstionem attulerunt, quænam causa ea deleuisset: alijsque ferè iam tacentibus, Ciceronis ætate Pythium, quod omnium celeberrimum & clarissi-

risſimum fuerat, iam diu minori dignitate & gloria erat: &, vt Satyra loquitur, Delphis oracula ceſſabant. Poſtremò religione Chriſtiana Conſtantini pietate propagata, clauſisq; gentium templis, Apolline ex adyto extracto, in totum ambigua illa & flexiloqua oracula ſiluerunt, & illud venerabile gentibus Apollinis ſimulachrum Delphis deuectum, ludibrio expoſitum, Conſtantinopoli in hippodromo iacuit. Quamobrem nos omnia diuinationis genera, quæ ſacris effatis recepta non ſunt, improbemus, & vel hominum calliditate, vel dæmonum ſcelere reperta cenſeamus, nobisq; gratulemur, qui diuinitùs edocti, multò plus hîc videmus, quàm doctiſsimus Plutarchus, qui vix exilem lucem diſpicit in iſta de oraculorum defectu diſputatione, quam à me è Græco in Latinum conuerſam, tibi nuncupaui, Card. Illuſtriſs. qui in hoc orbis terrarum gymnaſio, litterarumq; domicilio, ingenuam doctrinam, humanitatisq; artes, muſarum patronus hac tempeſtate ſolus foues atque ſuſtines, vt de te canere illud meritò debeamus:

Et ſpes & ratio ſtudiorum es Carole tantùm:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexti.

Nam abſque te foret, de illis actum eſſet, & florentiſsimum hoc regnum ea gloria care-

ret. Homines enim nonnulli, boni illi quidem, sed malè nati & peius instituti, supercilij severitate & ordinis auctoritate freti, odium in bonas literas conceptum intimis pectoribus fouentes, clandestinas insusurrant calumnias, quibus tu nunquam aures patefecisti. Debebunt hoc tibi Camœnæ, quod hinc profugæ non exulabunt, nec novas sedes quærere cogentur. Tu è regio stemmate sanguinem ducis, multæq; victoriæ & trophæa claras maiorum tuorum imagines nobilitant & insigniunt, non erit tamen indecorum generi vestro istam defensarum litterarum

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

VALE.

PLV-

PLVTARCHI CHAERONEI DE DEFECTV Oraculorum Liber.

ADRIANO TVRNEBO interprete.

AQuilas quasdam, Prisce Terenti, vel olores, ab vltimis terrarum oris fabulantur mediterranea petentes, eôdem Pythona conuolasse, qua vmbilicus dicitur. Quodam postea tempore ferunt Epimenidem Phæstium, cùm apud Deum eam fabulam reprehenderet, oraculumq; obscurum et ambiguum accepisset, dixisse:

Non est vmblicus quisquam terræue marisue:
Sed si quis, notus Dijs, haud mortalib. vllis.

Ergo eum merita pœna Deus multauit, qui fabulæ priscæ, tanquam tabulæ pictæ, manus adferebat. Paulò autem ante Pythia, quæ magistratu Callistrati commissa sunt, nostra memoria à contrarijs orbis terrarum extremitatibus viri duo sancti Delphos conuenêre, Demetrius Grammaticus domum cupiens, è Britanniaq; Tarsum repetens, & Cleombrotus Lacedæmonius diu in Aegypto & Troglodytica terra peregrinatus, & longè in rubrum mare nauigatione prouectus, non mercaturis faciendis, sed visendi, claritatisq; parandæ studio. Nam vir locuples & copio-

ſus, nec rem familiarem, quòd larga foret, pro magno habens, otium ijs in rebus ponebat, hiſtoriamq́; colligebat, tanquam materiam Philoſophiæ, quæ Theologiam, vt ipſe vocabat, finem ſibi propoſitum haberet. Is nuper ad Ammonem profectus, cetera haud ſanè admiratus eſſe magnopere videbatur: verùm de lucerna perpetua, rem attentione dignam à ſacerdotibus narrari memorabat. Nam omnibus deinceps annis minorem olei conſumtionem eſſe dicebat, & illos ex eo augurari annorum inæquabilem varietatem, quæ poſterum arctioribus quàm antegreſſum temporis anguſtijs includat. eſſe enim conſentaneum minori ſpacio minus conſumi. Hîc omnibus, qui præſentes aderant, obſtupefactis, cùm Demetrius ridiculum eſſe iactaret, minutis è rebus tam magna inueſtigare, non, vt inquit Alcæus, ex vnguibus leonem pingentes, ſed è ſcirpo & lucerna celum & rerum ſummam immutantes, & mathematicorum ſcientiam funditus euertentes: Tum Cleombrotus, Nihil, inquit, horum viros illos commouerit, nec ſubtilitate & accuratione mathematicis ceſſerint, quos, in tanta præſertim motuum & conuerſionum longinquitate, tempus facilius effugerit, quàm ipſos olei modus fefellerit, quem ſemper ex rei prodigio, & euentu inſolito perdiligenter obſeruant. Non concedere autem, Demetri,

parua

parua ſæpenumerò rerum magnarum indicia eſſe, multis artibus officit, cùm præſertim rerum multarum demonſtrationes hinc, prædictionesq́ tollantur. Atqui cùm apud Homerum nouacu-lam legitis, haudquaquam exiguum eſt, quod argumentamini, heroas olim corpus nouacula leuaſſe: ſed et pecuniam eos fœneraſſe, quia quo-dam loco nomen deberi haudquaquam paruum ve recens ve dixerit: proinde quaſi ὀφιλικὸς, *quod eſt deberi, augeri ſignificet. Quid quod cùm* δολὼ, *id eſt, citam dicit noctem, perliben-ter vocabulo adhæretis, & ab eo ſignificari dici-tis terræ vmbram à globoſo corpore metæ forma faſtigiatam reddi? Quis porrò ex eorum nume-ro, qui parua rerum magnarũ ſigna negant eſſe, medicinam ſinet ex araneorum multitudine, & vernis ſici frondibus cornicis pedem referentibus, æſtatis præſagire peſtilentiam? Quis feret, vt ad aquæ congium vel heminam Solis magnitudinem metiamur? Quis poſtremò patietur illum later-culum, cuius angulus acutus ad planitiem incli-natus, elationis illius menſura eſſe dicitur, qua vertex, qui ſemper apparet, ab orbe finiente eleuatur? Hæc ab Ammonis flaminibus licebat audire. Itaq́ alia quædam in eos dicamus, ſi vo-lumus ſolis, more inſtitutoq́ patrio, receptas vi-ces, immutabiles ratasq́ reddere. Coram ergo philoſophus Ammonius exclamauit, ne Solis tan-*

tùm, verùm etiam vniuersi celi diceret, cum sit necesse spatium lustrationis à brumali reuersione ad solstitium contrahi, nec iam tantam esse finientis orbis partem, quantam Mathematici prædicant, sed semper ad Boream minui, cum Australis pars in angustum adducatur: æstatem etiam nobis breuiorem & frigidiorem esse, cum interius se ipse Sol inflectat, & grandioribus circinationibus puncta reuersionis attingat. Iam verò Syenæ Solis vmbilicos, quos Græci γνώμονας vocant, sine vmbra solstitiali die non videri: sed è stellis inerrantibus multas, interualli inopia, sub alias successisse, quasdam inter se continuatas & confusas esse. Quòd si dicant in pari reliquorum constantia, Solis vnius cursum errare, ne caussam quidem istius accelerationis ex tot sideribus in vno Sole commemorare poterunt, multarumq; rerum, quæ sub oculos cadunt, perturbatio consequetur: eiusq; inprimis cum Luna vicissitudines non respondebunt, vt nihil olei mensura ad dissimilitudinem coarguendam egeamus. Nam id defectiones ostendent, cum & ipse in Lunam sæpè incidat, & Luna vicissim in vmbram terræ: nec sanè pluribus sermonis illius vanitas euoluenda est. Antiqui Cleombrotus, Mensuram, inquit, his oculis vidi: multa enim monstrabant: ac anni modus non parum ab antiquis aberat. Suscipit iterum Ammonius,

monius, &, Istuccine, inquit, reliquos tandem mortales latuit, apud quos ignis colitur, immenso propè tempore seruatur? Quòd si quis id verum esse statuat, nonne satius obsecro fuerit, alicui frigori aëris aut humori caussam asscribere, quo ignis extabescens multùm alimenti neq; conficiat, neq; requirat, aut contrà siccitati vel calori? Equidem audiui, qui dicerent, ignem hyeme, appulsu frigoris in se collectum atq; densatum, aucto robore acrius, ardere: ipso contrà æstu remissum imbecillitate quadam & infirmitate languere, ac si in Sole accendatur, malignius depasci, lignumq; molliter libare, & lentius consumere. Accedit quòd huius rei caussa oleo vel maximè attribuenda esse videatur, cùm incredibile non sit olim è nouella stirpe expressum, minus alimenti, aquæ plus habuisse, postea tempestiua maturitate è iusta perfectaq; arbore natum, valentius ex modo pari fuisse, & vberius aluisse. Sic apud Ammonios oportuit rem illam, quamuis admirabilem & prodigij similem, defendi. Cùm finem fecisset Ammonius, hîc ego, Quin tu, inquam, Cleombrote, de oraculo nobis potiùs explicas: nam olim permagna fuit illic diuinitatis opinio: nunc exolescere quodam modo videtur. Hic tacente Cleombroto, terramq; intuente, Demetrius, Nihil, inquit, opus est de illo percontari, atq; quærere, cùm hîc oracula

prater

præter vnum aut alterum omnia obscurata esse, defecisseq; videamus. Verùm illud potius videndum, quænam causſa sic ea debilitauerit. Atque alia quidem quid commemorare opus est, cùm Bœotiam olim, quod ad oracula attinet, tam vocalem, hoc tempore oracula tanquam latices deseruerint, & magna diuinationis siccitas squalorq; regionem occupârit? nusquam enim nisi Lebadiæ, Bœotia desiderantibus diuinationis haustum suppeditat. Reliqua vel silentium, vel immanis solitudo inuasit. Attamen temporib. Medicis, non minus florebat Amphiarai oraculum: atq; vtriusq; fidem experti sumus. Nam apud Lebadiam operti Vates lingua Aeolica vti solitus, ita Barbaris oraculum edidit, vt nemo sanctorum religiosorumq; virorum intelligeret: diuini furoris afflatum ad Barbaros non pertinere: eos audientem dicto Græcam vocem habere non posse. Missus autem ad Amphiaraum seruus, secundum quietem visus est Dei ministrum videre, à quo primùm, vt Deo non præsente, voce pelleretur, deinde manibus extruderetur: postremò cùm restitaret, grandi saxo in capite feriretur: quæ quidem tanquam futurorum obnuntiationes fuerunt. Nam Mardonius victus est non à Rege, sed à tutore administratoreq; Regio Græcorum duce: & lapide ictus, vt in somnis Lydus cædi se viderat, occubuit. Illa quoq; tempe-

tempestate Tegyris oraculum florebat, vbi Apollinem etiam natum esse tradunt: riuiq3 duo praeterlabuntur, quorum vnus palma, alter oliua, hodieq3, vt nonnulli prædicant, vocatur: Ac sanè Medico bello, Echecrate antistite, victoriam belliq3 decus penes Græcos fore illic Deus respondit. Bello autem Peloponnesiaco, Delijs insula eiectis, allatam ferunt Delphis sortem, quæ iuberet, locum, vbi natus esset Apollo, requirerent, & sacra quædam facerent. Hîc admiratione perculsis, rogantibusq3 an non apud ipsos, verùm alibi vsquam Deus natus esset, Pythiam denuò respondisse, Cornicem locum ipsis indicaturam. Illos igitur abeuntes Chæroneam petijsse, cauponamq3 fortè audiuisse quandam cum peregrinis Tegyras proficiscentibus, de oraculo colloquentem: qui cùm in discessu mulierem consalutassent, Cornicemq3, quod eius erat nomen, vocassent, oraculum intellexisse, Tegyrisq3 operatos sacris non multò pòst restitutionem obtinuisse. Sed & recentiores his extiterunt illorum oraculorum claritates, cùm planè hodie defecerint, vt mutationis caussam non sit indignum apud Pythium ipsum quærere. Iam à fano paululum progressi, ad fores conciliabuli Gnidiorum veneramus. Ingressi amicos, ad quos ibamus, sedentes, nosq3 expectantes offendimus: & ab alijs, quòd ea esset diei hora, silentium erat, cum vel

vnge-

vngerentur, vel athletas spectarent. Tum Demetrius renidens, Mentiar, inquit, an verum mage proloquar, nullam mihi magnopere videmini memorabilem quæstionem in manibus habere. Nam magna cum animi remissione vultusq; hilaritate vos sedere conspicor. Hîc Megarensis Heracleon: Non enim, inquit, quærimus, verbum βάλλω, quod est, iacio, vtrum Lambda de duobus in futuro amittat: nec à quibus nominibus simplicibus peius & melius, pessimè & optimè formentur. Hæc enim & his similia vultum adducunt & contrahunt: de reliquis licet immoto supercilio, leni, non truci obtutu, non infensos ijs qui assint, philosophari atque quærere. Nos ergo, Demetrius, sessum, inquit, recipite, & nobiscum disputationem accipite, quæ nobis incidit, tum huius loci propria, tum verò quæ Dei caussa omnes attingat. Sed ne in differendo supercilia ducatis, etiam atq; etiam videte. Vt igitur consedimus, & Demetrius quæstionem in medio proposuit, Didymus Cynicus, cognomento Planetiades, id est, erro, continuò exiliens, terra bis aut ter baculo percussa, Eheu, eheu, exclamans, Enimuerò rem, inquit, disceptatu difficilem, & magnæ conquisitionis indigentem nobis affertis. Scilicet mirandum est tanta prauitate suffusa, si non solùm pudor & nemesis, vt Hesiodus cecinit, vitam hominum reliquerunt,

querunt, verùm etiam Deorum prouidentia oraculis, tanquam vasis collectis, hinc aufugit. Quin contra quæstionem vobis ponam, cur non quoq; defecerint, nec iterum Hercules aut alius aliquis Deus Cortinam fœdis & impijs oppletam interrogationibus, quas à Deo percunctantur, subduxerit. Alij enim vt Sophistam tentant, alij de thesauro, hæreditate, incestis nuptijs interrogant: vt manifestò conuictus Pythagoras teneatur, qui tum denique longè optimos homines fieri dicebat, cùm ad Deos accederent. ac videlicet honestum erat, cum animi morbos & perturbationes coram seniore vel negares, vel obtegeres, ea tamen vltrò ad Deum nuda & aperta deferre. Cum is plura pararet, Heracleon licinia pallij eum prehendit: & ego, qui omnium ei ferè familiarissimus eram, Desine, inquam, chare Planetiade, Deum irritare: iracundus enim est, minimeq; lenis. summè tamen propitium se mortalibus præbere, vt Pindarus ait, damnatus est: ac siue Sol est, siue Solis dominus & parens vltra omnem aspectabilem naturam, eum non est verisimile, hoc tempore homines voce sua dedignari, quibus auctor sit ortus, victus, status, sensus: nec verisimile est prouidentiam, quæ vt benigna & indulgens mater omnia nostra caussa paret atque conseruet, in sola diuinatione iniquam & maleuolam esse, vt eam, quàm initio

dona-

donauerit, adimat: proinde quasi tum in maiore hominum frequentia, non maior quoq; improborum turba esset, cùm multifariam in terris oracula extarent. Hîc igitur rursum, sede sis, & cum vitio, quod semper oratione insectaris, Pythicas pactus inducias, aliam nobiscum caussam defectus oraculorum exquire, Deumq; bona cum gratia beneuolum & placatum retine. Ista locutus, eatenus profeci, vt Planetiades foribus egrederetur tacitus. Secuto deinde aliquandiu silentio, Ammonius me compellans, Vide sis, inquit, Lampria, quid agamus, & ades animo, vt ne Deum ab huius rei caussa remoueamus. Nam qui alia aliqua vi, non Dei numine obliterata oracula defecisse putat, is profectò affert, vt ea nec extitisse, nec esse Deo auctore, sed alio quodam modo suspicemur. Non enim alia vlla fuerit vel superior vel præstantior vis, quæ diuinationem, Dei præsertim opus, euertere ac delere possit. Nec verò mihi Planetiadis oratio probatur, cùm ob alia, tùm quòd inconstantiam in Deo ponit, quem nunc auersantem & aspernantem vitia, nunc admittentem & fouentem facit: perinde ac si rex aliquis aut tyrannus improbos alijs foribus excluderet, alijs intromitteret, cum ijsq; colloqueretur. Sed cùm opus id demùm sit è Deorum dignitate, quod amplissimum, quod expletum, quod nusquam superua-

caneum,

caneum, quod vbiq; sit satis, si quis hoc posito dicat communis hominum infrequentia, quam superiores seditiones & bella in orbem terrarum inuexerunt, maximam partem sensisse Graciam, vix vt hodie tria millia militum armare vniuersa posit, quot olim ad Plateas vna Megarensium ciuitas miserit: ac si quis interpretetur, nihil aliud esse multa deseri à Deo oracula, quàm solitudinem Gracia coargui, equidem ei plus satis orationis suppeditare possim. Quid enim commodi afferret oraculum, quod olim Tegyris & Ptoi vigebat, vbi interdiu hominem inuenires pecus pascentem? Nam et hoc Apollinis opertum tempore vetustissimum, fama illustrissimum narrant à Dracone fœmina bellua dira obsessum, diu desertum, hominibusq; intercluſum fuisse, vastitatem non rectè, sed præposterè interpretantes. Solitudo enim potiùs belluam illexerat, quàm bellua solitudinem fecerat. Posteaquam Deo visum est, vt Græcia conditis vrbib. conualesceret, locusq; hominum multitudine frequentaretur, duabus vti cœperunt antistitis vicissim descendentibus, tertia tanquam supernumeraria designabatur. Nunc sacerdos est vnica, nec conquerimur, cùm sit vna consulentibus satis. Neq; verò Deus ipse culpandus est, cùm quod diuinationis adhuc superest, omnium desiderio satisfaciat, absolutosq; domum dimittat. Quemadmo-

dum ergo nouem præcones adhibebat Agamemnon, vixq; concionem hominum turba tumultuantem continebat: hic autem paucis post diebus vocem vnam ad omnes permanantem videbitis: sic pluribus tum vocibus plures alloquebatur diuinatio. Nunc verò contrà mirari potiùs conueniret, si Deus diuinationem inutiliter aquæ more labi sineret, aut, vt saxa & cautes, pastorum & pecudum voci in solitudine resonantem obstrepere permitteret. Quæ cùm Ammonius dixisset, & silerem, Cleombrotus me appellans: Ita ne tu, inquit, istorum oraculorum Deum concedis & conditorem & euersorem esse? Minimè verò, inquam: nullum enim opertum, nullum oraculum auctore Deo deleri prædico: sed quemadmodum cùm alia plurima ad nostrum commodum, opportunitatemq; moliatur & paret, quibusdam tamen interitum labemq; natura affert: immò verò materia ipsa, quæ labes est quædam & priuatio, fugitans sæpenumerò soluit, quod præstantior caussa coagmentauit: sic fatidicas ipsas potestates arbitror aliunde obscurari & extingui, Deo multa, eaq; præclara hominibus largiente, immortale tamen nihil: adeò vt, quod Sophocles scribit, quæ à Deo proficiscuntur, omnia moriantur, non Deus. Earum autem rerum naturam atque vim censeam non incallidos naturæ & materiæ interpretes

pretes ita inuestigare debere, vt Deo tamen, quod æquum est, principium seruetur. Per enim ineptum sit & puerile, Deum ipsum existimare, velut engastrimythos, id est, genios è ventre hariolantes, quos olim Eurycleas vocabant, nunc Pythonas dicunt, in vatum se corpora condentem, eorum ore & voce, ceu instrumentis, vtentem profari. Nam qui Deum negotijs humanis interponit, eius amplitudini non parcit, maiestatem virtutisq; magnificentiam eius non tuetur. Tum Cleombrotus: Rectè tu quidem, inquit: sed quoniam perdifficilis est explicatio & præscriptio, quemadmodum & quatenus prouidentia sit adhibenda, idcirco & qui nullius omnino rei auctorem Deum, & qui vniuersorum dicunt, vtrique à mediocritate & decoro aberrant. Scitum quidem est, quod nonnulli prædicant, ex inuentione elementi, qualitatibus quæ gignuntur, subiecti, quod tum materiam, tum naturam appellant, à Platone philosophos magnis et multis difficultatib. esse liberatos: sed mihi maiores & plures dubitationes ac scrupulos exemisse videntur, qui Dæmonũ (Latinè Lares aut Genij dicuntur) genus inter homines et Deos interiectũ, qui quodam modo societatẽ nostram in vnum concilient atq; coniungant, inuenêre: siue magorum & Zoroastris istud inuentum est, siue ad Thraces ab Orpheo manauit, siue Aegyptiorũ

fuit, siue Phrygum, vt ex vtrorum initijs conijcimus, in quibus sacrorum ceremonias & ritus admixtum nescio quid mortale & luctuosum præ se ferre videmus. Ac de Græcis quidem Homerus promiscuè nominibus vti videtur, & Deos nonnunquam Dæmonum vocabulo afficere. Hesiodus autem princeps dilucidè & distinctè quatuor genera animantium ratione præditorum explicauit: Primùm Deos, mox Dæmonas multos & bonos, deinde Heroas: postremò homines, vnde mutationem ducere videtur, aurei quidem generis in Dæmonas multos bonosq́, semideis in heroum partem secretis. Alij non aliter ac in corporibus, mutationes in animis cieri & effici dicunt: vt quemadmodum ex terra humorem, ex humore animam, ex anima ignem materia supera capessente generari cernimus: sic ex hominib. in heroas præstantiores animi, ex heroib. in Dæmonas mutentur: ex dæmonibus autem animi perquàm pauci, virtutis ope, longa temporis diuturnitate prorsus expurgati, diuinitatem consequantur. Nonnullis etiam euenit, vt impotes sui, & incontinentes sint, rursusq́, sese demittentes, & ad mortalia corpora relabentes, obscuram & tenebrosam vitam seu exhalationem ducant. Quinetiam Hesiodus censet certis temporum curriculis Dæmonas interire. Nam in persona Naidis, etiam tempus illud significans ait,

Terna

Terna viresçentûm ter vincere garrula cornix
Secla virûm iusto viuendi limite fertur:
Et quater egreditur cornicis secula ceruus:
Alipedem ceruum ter vincit coruus, at illum
Multiplicat nouies Phœnix, Iouis alma pro-
pago,
Quem decies vestro Nymphæ præuertitis æuo.

Temporis huius immensam summam conficiunt, qui seculum perperam accipiunt, cum sit annus, vt si in assem colligas, nouies mille septingenti viginti anni Dæmonum vitæ tribuendi sint: vt mathematicorum plurimi summam æui minorem censeant: maiorem, ne Pindarus quidem dicat, quia æquali arborum & confatali æui fine canit nymphas frui, ac proinde Hamadryadas eas appellat. Eo adhuc loquente sermonem suscipiens Demetrius, Ecquonam tu tandem, inquit, pacto, Cleombrote, hominis seculum annum esse dictum arbitraris? neq; enim viresçentis, neq; senescentis, vt quidam in Hesiodo legunt, tempus hominis tantulum est. Sed qui viresçentum legunt, seculum de Heracliti sententia, triginta annis definiunt: quo quidem spatio parens, quem procreauit, ad generandum idoneum exhibet: contrà qui senescentum, non viresçentum scribunt, seculo octo & centum annos tribuunt: nam quinquaginta quatuor annos, dimidiatam hominis vitam, compositos esse ex vnitate, pri-

mis duobus planis, duobus quadratis, duab. tesseris, quos etiam numeros ad animi procreationem Plato adhibuit. Ac sanè videtur id ab Hesiodo per ænigma ad significationem exustionis dici: quo tempore verisimile est Nymphas cum humore perituras esse,

queis & saltus habitantur amœni,
Et fluuialis aquæ fontes, atq; herbida prata.

Et Cleombrotus: Equidem ista de multis, inquit, audio, & planè Stoicam deflagrationem, vt Heraclti & Orphei monimenta, item Hesiodi versus occupasse, & fucum facere intelligo. Sed neq; orbis interitum, quem prædicant, approbo, nec, quæ fieri non possunt, quæq; voces ipsæ, maximè tamen cornix & ceruus, admonent, in tantam annorum superlationem excedere patior. At verò annus initium & summam omnium, quæ vel tempora ferunt, vel terra parit, continet, vt non incommodè hominis seculum appelletur. Nam & vos hominis vitam, seculum ab Hesiodo appellari fatemini. An non ita est? Et annuente Demetrio: Atqui istud quoq; Cleombrotus, perspicuum, inquit, est, sæpenumerò mensuram, & ea quæ metimur, eodem vocabulo nuncupari, velut heminam, chœnicem, quadrantal, medimnum. Quemadmodum igitur vnitatem, quæ omnium numerorum mensura est minima, & principium, numerum vocamus: sic

annus,

annus, quo primò vitam hominis metimur, quadam nominis societate, & gentilitate eius rei, quam metitur, seculum nominauit. Nam quos illi numeros ponunt, nihil habent, vt in numeris, vsitatæ claritatis atq; splendoris: at hæc summa nouies mille septingentorum & viginti, compositione ex quatuor numeris iam inde vsq; ab vnitate deinceps quater multiplicatis nascitur. Vtroq; enim modo quadraginta efficiuntur, quæ quinquies in triangulos redacta, propositam summam absoluunt. Sed nihil nobis necesse est hisce de rebus cum Demetrio digladiari. Nam siue longinquiore, siue breuiore tempore, siue constituto & rato interuallo, siue fortuitò & temerariò, Dæmonis animum et Herois vitam Hesiodus immutari censet, quod tamen vult illustri antiquorum auctoritate & testimonio ostendetur, naturas esse quasdam tanquam in confinio hominum & Deorum interpositas, mortalibus perturbationibus, necessarijsq; mutationibus obnoxias, quas more institutoq; maiorum Dæmonas existimare, nominare, colere, ius fasq; sit. Cuius rei Xenocrates Platonis sodalis, exemplum posuit triangulos: lateribus æquabili, Deum: inæquabili, homines: cruribus exæquato, Dæmonas comparans. ille enim est omni ex parte par et æqualis, iste totus vndiq; dispar, hic partim æqualis, partim inæqualis, vt Dæmonum natura,

quæ & mortalium perturbationem, & Deorum potestatem miscet: sed & natura imagines sub sensum cadentes, & similitudines aspectabiles repræsentat, Deorum Solem ac sidera, mortalium fulgores, stellas cincinnatas, faces: quemadmodum Euripides expressit:

Modò hic vigescens corpore, vt celo cadens
Sidus repentè extinctus est, & atheris
Efflauit animam per plagas spirabiles.

Mixtum autem corpus, & Dæmonum planè simulachrum, Lunam. Itaq; cùm erroribus Dæmonum, Lunam diminutionibus, accretionibus, mutationibus obnoxiam, consentire viderent, partim astrum terrenum, partim Olympicam tellurem, partim terrestris & celestis Proserpinæ possessionem appellauerunt. Vt igitur aërem Lunæ terræq; interfusum, si quis de medio tollat & subtrahat, continuationem & consociationem vniuersitatis labefactarit medij spatij inanitate & dissolutione: ita qui Dæmonum genus non relinquunt, omnem rationem atq; commercium hominum ac Deorum tollunt, cùm interpretem, vt ait Plato, naturam & administram remoueant: aut omnia nos miscere & perturbare cogunt, qui Deum affectibus & negotijs humanis adhibeamus, & vt Thessalæ mulieres Lunam deripere dicuntur, ad hominum vsus detrahamus. Sed illarum calliditas in vulgus mulierum fidem

ex eo

ex eo inuenit, quòd Aglaonice Agetoris filia, siderum perita, vt aiunt, in Lunæ laboribus semper eam fingeret suis veneficijs & cantionib. deduci. Nos autem nec eos audiamus, qui diuinationem aliquam esse censent numinis expertem, neq; qui initia aut orgia vlla à Dijs negligi prædicant, neq; tamen in ijs Deum versari, interesse, implicari censeamus, sed quibus ius fasq; est Deorum ministris ea attribuentes, tanquam accensis & scribis, Dæmonas quosdam arbitros diuinorum sacrorum, & initiorum auspices & auctores, alios scelerum grauium & immanium vindices terram lustrare putemus: quosdam etiam Hesiodus ritè sanctos, munificos, regale hoc munus habentes, appellauit, quod bene mereri regium sit. Est enim vt in hominibus, item in Dæmonibus virtutis dissimilitudo: partisq; patibilis & rationis expertis, in quibusdam etiamnum obscuræ & exiles reliquiæ remanent, ceu excrementũ quoddam, in alijs multùm reliquiarum inest, quæ non facilè restingui queant: quarum rerum vestigia & notas, nonnusquam sacrificia, mitia fabulæ inspersas & insignitas seruant & custodiunt. Sed de mysterijs, in quib. significatur, & ex quibus perspicitur luculentè Dæmonum veritas, mihi, vt Herodotus ait, lingua fauendum est: ceterùm ferias & sacrificia, tanquam dies, nefasta & tristia, in quibus epulæ crudæ, & laniatus,

ieiunia, & planctus, ſæpenumerò etiam verborum obſcœnitates verſantur, furoris quoq; & vlulatus concitationes cum capitis iactatione, nemini Deorum, ſed ad depulſionem malorũ Dæmonum fieri affirmauerim, vt placentur, atque leniantur. Et verò vetuſta illa ſacrificia humanarum hoſtiarum, neq; Dijs optanda, neq; grata fuiſſe veriſimile eſt, nec temere Reges & duces ſuos dabant liberos, eosq; ipſi mactabant atq; iugulabant: ſed vt iracundiam & acerbitatem dirorum geniorum auerruncarent, atq; ſatiarent: nonnullorum etiam inſanos & tyrannicos amores explerent, qui cum corporibus, & per corpora conſueſcere, cùm neq; poſſint, neq; velint, vt Hercules amore puellæ captus Oechaliam obſedit, ſic præpotentes, violentiq; Dæmones hominis animum corpore clauſum dedi ſibi poſcentes, cùm corporis interuentu eo frui non poſſint, ciuitatibus peſtilentias, & agrorum ſterilitates inuehunt, bella & ſeditiones miſcent, donec delitijs & amorib. ſuis potiantur. Nonnulli contrà, vt in Creta diu commoratus animaduerti, vbi quandam feriarum celebrationem ſanequam abhorrentem vidi, quibus ſimulachrum hominis ſine capite oſtendunt, aiuntq; talem fuiſſe Molum Merionis patrem, qui cùm nymphæ per vim probrum obtuliſſet, ſine capite ſit inuentus. Iam verò quotquot in fabulis & hymnis celebrant, &

canunt

canunt Deorum raptus, errores, latebras, fugas, seruitutes, non Deorum, sed Dæmonum casus sunt, & euenta ex personarum potentia & virtute memorabilia: ac sanè sic dixit Aeschylus:

Et castum Apollinem exulem à celo Deum.

Sic Sophocleus Admetus:

Illum excitabat gallus ad molam meus.

Plurimùm autem a vero aberrant Delphorum theologi, qui quidem credunt hîc Deo cum serpente de oraculo certamen fuisse, atq; ista finunt poëtæ & Oratores in theatri commissionibus dicere, velut de industria testimonio ea oppugnantes, quæ in religiosissimis sacris faciunt. Hic admirante Philippo (historicus enim ille aderat) & quænam sacra ab eis, qui componerentur in theatro, tanquam testimonio oppugnari putaret, rogante: Enimuerò ea, inquit, quæ ad hoc oraculum pertinent, quibus hæc ciuitas ad Tempe vsq; progressa omnes vltra Pylas modò Græcos velut initiauit. Nam & tabernaculum, quod in area excitatur nono quoq; anno, non est latebrosum draconis cubile, sed tyrannicæ aut regiæ arcis simulachrum: & tacita in tabernaculum per Doloniam, vt vocant, irruptio, mox pueri patrimi & matrimi cum ardentibus thedis inductio, et tabernaculi succensio, euersioq; mensæ, & celerrima nunquam retrò respicientium et per fani fores se proripientium fuga, postremò

pueri

pueri errores & seruitus, eiusq; ad Tempe expiatio, magni cuiusdam sceleris & facinoris suspicione non carent. Esset enim, mi Philippe, perridiculum, Apollinem interfecta bellua in Graciæ fines ad piacula profugere, ibiq; libationibus quibusdam perfundi, eaq; obire, quæ homines Dæmonum illorum iracundiam deprecantes, atque placantes, quos Alastoras, id est, quanquam minus aptum videri potest, lemures, & palammæos, id est, laruas appellant, vt nunquam obliuiscendorum & veterum scelerum atq; fraudum recordatione cruciantes, agere solent. Quod autem aliquando audiui de ista fuga, atq; migratione, est illud quidem abhorrens valde atq; admirabile: sed si quid in eo veri est, ne exiguum esse putemus, vec vulgare facinus, quod tum ad oraculum patratum est. Verùm ne, vt est in Empedoclis sententia, disserere videar,

Annectens diuersa alijs fastigia summis,

Sermonum nec idem sectans iter: quæso sinite vt prima, suo congruentiq; fine concludam. Iam enim ad eum re profligata peruenimus: audeamusq; post multos & ipsi dicere Dæmonibus, qui opertis & oraculis præpositi sunt, deficientibus, ea pariter deficere: tum autem fugientibus aut demigrantibus, vires oraculorum cessare: deinde longo reuersis interuallo, vt instrumenta sonare, quod præstò sint, qui tractent & vtantur.

tur. Cum ista Cleombrotus disseruisset, Heracleon, Nemo hîc, inquit, superstes adest è profanis nec initiatis: nemo, cuius sententia de Dijs cum nostra cohærescere non possit: ipsi modò demus operam, ne inepta & magna principia imprudentes in disputatione posuisse videamur. Et Philippus: Rectè tu quidem, inquit: sed cuius te tandem maximè eorum, quæ Cleombrotus posuit, pudet ac piget. Hîc Heracleon, Nempe oraculis, inquit, non Deos, quos à rebus terrenis immunes & liberos esse decet, sed Dæmonas Deorum ministros præsidere, bellè mihi dici videtur: verùm Dæmonibus istis, abruptè propè dixerim ex Empedoclis versibus, offensiones, calamitates, errationes diuinitùs inferre, ad postremum mortales, vt homines decernere, maioris aliquando audaciæ & barbariæ existimo. Tum Cleombrotus Philippum interrogaut, Ecquis adolescens ille, & cuias? auditoq; nomine & ciuitate: Minimè verò nos, inquit, imprudentes, ô Heracleon, in isto sermone absurdo versamur: sed fieri non potest, vt quis in magnis rebus sine magnorum institutione principiorum fidem & probabilitatem opinione consequatur. Quin tute potiùs ipse imprudenter, quod concedis, id tollis? nam qui esse Dæmonas fateris, cum tamen neq; improbos, neq; mortales esse censeas, iam hoc ipso ne Dæmonas quidem tueris. Quid enim

inter

inter Deos & Dæmonas intererit, cum, si naturam spectemus, interitus: si virtutem, perturbationum atq; peccatorum sint expertes? Cum quid ad hæc Heracleon posset, tacitus secum cogitaret, ad eum Philippus: Atqui maleficos, inquit, Dæmonas esse, mi Heracleon, non solùm Empedocles scriptum reliquit, verùm etiam Plato, Xenocrates, Chrysippus: sed & Democritus, cùm salutares & faustas imagines sibi precibus optat, satis indicat alias se importunas & diras nouisse, quæ animi quadam propositione appetitioneq; præditæ sint. De Dæmonum porrò obitu narrationem quandam de homine nec stulto nec vano accepi. nam Aemiliani Rhetoris, ex quo nonnulli etiam vestrûm hoc audierunt, Epitherses pater fuit, municeps meus, Grammaticæ professor: is narrabat cum aliquando Italiam cogitans nauigium conscendisset, quod non solùm mercium magnam vim, sed vectorum etiam magnam turbam ferret, sub vesperam ad Echinadas insulas penitus flatum siluisse, nauiq; in salo fluitante, & tandem ad Paxas delata, plurimis tum vigilantibus, multis etiam post cœnam compotantibus, è Paxis repente vocem auditam esse cuiusdam, Thamum inclamantis, ita vt admirarentur. Erat autem Thamus Aegyptius gubernator, multis, qui in naui erant, nomine ignotus. Bis igitur inclamatum siluisse, tertium vocanti,

canti, paruisse: illum maiore vocis contentione imperasse, vt cum ad Palodes peruectus esset, Pana magnum mortuum esse nuntiaret. Hoc audito Epitherses consternatos omnes stupore dicebat: cumq; deliberarent, quod imperatum erat, faciendū esset necne, hac de re sic Thamum censuisse, si flatus spiraret, silentio præteruehendum esse, sin à ventis esset eo in loco quies & tranquillitas, quod audierat, esse prædicandum. Igitur ad Palodes perlatis, cum aura nulla esset, nec vnda, prospectantem è puppi Thamum in terram, exclamasse vt audierat, Pana magnum esse mortuum: continuoq; cum vixdum finijsset, secutum esse ingentem non vnius, sed multorum gemitum admiratione mixtum: & quod multi affuissent, narrabat rei famam celerrimè dissipatam esse Romæ, Thamumq; à Tiberio Cæsare accersitum: Tiberium verò vsq; adeò huic rei fidem adiunxisse, vt quis ille Pan esset, interrogaret & quæreret. Doctos autem homines, quos circum se frequentes habebat, censuisse, Pana eum esse, qui ex Mercurio et Penelope natus esset. Atq; hæc quidem Philippus, quorundā etiam, qui aderant, memoria attestante, qui de Aemiliano sene se audiuisse dixerunt. Demetrius autē narrauit earum insularū, quæ sunt propter Britanniam, pleraſq; desertas & sparsas esse, quarum nonnullas Dæmonibus & heroibus esse dicatas:

sese

ſeſe autem cognoſcendi viſendiq; cauſſa Imperatore mittente nauigaſſe ad vnam deſertis proximam, paucis habitatam cultoribus, quos Britannis ſacroſanctos et inuiolatos omnes eſſe: non multò autem poſtquam eò veniſſet, fœdam celi perturbationem, & prodigioſam tempeſtatem eſſe coortam: procellas in abruptum lapſas cecidiſſe, ardentium fulminum iactus fuiſſe, quibus ſedatis Inſulanos dixiſſe, aliquem è præſtantioribus interijſſe. Nam vt lucerna dum accenditur, noxia nemini eſt, dum extinguitur, multis tetrum odorem afflat: ſic animos magnos, dum accenduntur, propitios et innoxios eſſe: dum extinguuntur & intereunt, ſæpenumerò, vt modò, ventos & procellas miſcere, interdum peſtilenti lue celum inficere. Iam verò illic inſulam quandam eſſe, in qua Saturnus carcere clauſus à Briareo cuſtodiatur ſopitus, ſomnum enim illi pro vinculo eſſe: multos autem ei Dæmonas eſſe circum pedes atq; ſeruos. Tum Cleombrotus: Ipſe etiam talia quædam, inquit, commemorare poſſim: nunc ſatis eſt propoſito nihil repugnare: neq; impedimentum ſic ei vllum afferri: Quanquam non me latet, inquit, Stoicos non ſolùm mecum de Dæmonibus ſentire, ſed etiam in tanto Deorum populo, vnum ſempiternum & immortalem alios natuos et interituros exiſtimare. Nam Epicureorum irriſiones & cachinnos nihil moror,

moror, quibus etiam contra prouidentiam, fabulam appellantes, abutuntur. Nos contrà fabulosam potiùs infinitatem dicimus, quæ mundum, in tanta eorum innumerabilitate, Dei procuratione nullum administratum habet, sed omnes fortuitò & temere genitos atq; coagmentatos. Quod si in Philosophia locus risui est, profectò ridendi sunt, qui, vbi locorum imagines surdæ, cæcæ, inanimæ, infinitis annorum curriculis maneant, emergentes & quoquo versum euagantes, tum autem partim è viuis, partim iampridem crematis aut putridis emanantes, meras nugas & vmbras in rationem naturæ inducunt: qui tamen, si quis Dæmonas esse dicat, qui non solùm natura, sed etiam ratione incolumitatem & permansionem diuturnam habeant, agrè ferunt. Hæc autem cum dicta essent, Ammonius, Rectè quidem, inquit, Theophrastus pronuntiasse mihi videtur. Quid enim vetat vocem recipere sanctissimam, maximeq; philosophicam? Nam si reijcitur, multa, quæ euenire queunt, nec certa tamen argumentatione concludi possunt, euertet: sin ponitur, nihil quicquam, quod vel fieri, vel extare non queat, secum eliciet & trahet. Quod tamen solùm Epicureos audio afferre aduersus Dæmonas, quos Empedocles inducit, fieri non posse, vt si improbi & vitiosi sint, beatam longæuamq; ducant vitam, cùm præsertim

cæca temeritate vitium rapiatur, & in labefactantium impulsionem offensionemq; incidat, stultum & ineptum est. Ista enim ratione Epicurus deterior Gorgia sophista: & Metrodorus Alexide comico videbitur. Nam iste quàm Metrodorus amplius altero tanto, ille quàm Epicurus plus sesquitertio vixit. Aliter enim firmam esse virtutem imbecillum vitium dicimus, non ad permansionem & dissolutionem corporis referentes: quando & in animalibus tardi multa animi & stupidi, multa intemperantiæ & petulantiæ dedita, diuturnioris & viuacioris sunt vitæ, quàm intelligentia & callida. Itaque Deo non rectè æternitatem tribuunt ex cautione & repulsione offensionum. In eius enim, quod beatum est, natura, mali & interitus immunitas, sine sollicitudine vlla inesse debuit: sed in absentes declamare, animi fortasse non ingenui neq; æqui esse videatur. Proinde Cleombrotus orationem illam de migratione & fuga Dæmonum, à qua aberrauit, repetat. Tum Cleombrotus. Atqui mirer, inquit, profectò, nisi ijs, quæ ante dicta sunt, ineptior vobis esse videatur: tametsi naturæ rationem sequitur, eiusq; primordium à Platone profectum est, qui, etsi non disertè pronuntiauit, sed timidè ex opinionatione quadam exili & obscura, velut per ænigma, suspicionem iniecit, tamen magnis etiam aliorum Philoso-

phorum

phorum clamoribus exagitatus & vexatus est. Sed quoniam fabulis & sermonibus temperatus crater in medio positus est, & beneuolentiores quis auditores nactus, hos fortasse sermones, vt peregrinam pecuniam probauerit, haud equidem verebor vobis id gratificari, quod de barbaro homine audiui, quem ad mare rubrum semel quotannis cum hominibus colloquentem, reliquo tempore cum agrestibus Nymphis & Dæmonibus, vt ipse dicebat, commorantem, multis erroribus, magna indicij mercede, vix tandem repertum conueni, ad sermonem ab eo admissus & comiter exceptus. Erat autem ille quidem omnium, quos vnquam viderim, specie formosissimus, & singulis semel mensibus quendam herbæ fructum medicatum & amarum gustans, se sine vlla valetudinis tentatione tolerabat: idem multas linguas excercebat, ac mecum magnam partem Doricè loquebatur quodam penè carmine, eoq; loquente mirifica odoris suauitas ex ore toto loco spargebatur. Ac reliqua quidem doctrina & eruditio semper aderat, ceterùm ad vaticinationem omnibus annis semel afflabatur, & ad mare descendens, fata prædicebat, eò conuenientibus dynastis, regumq; scribis, deinde discedentibus. Ille igitur diuinationem ad Dæmonas referebat, & quod Delphi narrant, iucundissimum ei erat,

nihilq́, quod de Libero patre homines hîc loquuntur, vel ſacris operantur, ignorabat. Sed & iſta magnos eſſe Dæmonum caſus dicebat, & illa quæ de Pythone traduntur. Nec verò percuſſori nouem annorum exilium ad Tempe fuiſſe, ſed eum huius orbis ſolum alio orbe mutaſſe, & illinc nouem magnorum annorum anfractibus purgatum, & verè Phœbum, id eſt, mundum reuerſum, oraculum, quod interea à Themide cuſtodiebatur, accepiſſe. Eiuſdem generis eſſe res Typhonis & Titanum. Dæmonum enim contra Dæmonas fuiſſe pugnas: mox eorum, qui victi fuerant, fugas eſſe ſecutas, & à Dijs irrogata ijs ſupplicia, qui talia deliquerant, qualia in Oſirin Typhon, in celum Saturnus commiſiſſe fertur: qui aut obſcurius honorantur, aut quia in alium orbem demigrarunt, prorſus obſoleuerunt. Nam & Solymos Lycijs finitimos audio Saturnum eximiè coluiſſe, verùm poſteaquam cæſis eorum principibus, Arſalo, Dryo, Troſobio, profugit, & quocunq; tandem terrarum conceſſit, (neq; enim dicere habent) eos Saturnum negligere cœpiſſe: Arſalum autem, Dryum, et Troſobium ſæuos Deos appellaſſe, & in eorum nomen publicè priuatimq; execrationes concipere ſolitos eſſe. Multa eiuſdem modi ſumi poſſunt ex ijs, quæ de Dijs feruntur. Nec verò, ſi vſitatis Deorum vocabulis Dæmonas aliquos afficimus, mirandum

randum esse hospes dicebat. Cui enim Deo attributus quisq; est, & à quo potentiam & honorem habet, eius se nomine vocari gaudet. Nam & in hominibus alius Iouius est, alius Athenæus, id est, Mineruius, alius Apollonius, alius Dionysius, id est, Liberalis, alius Hermæus, id est, Mercurialis. Ac nonnulli quidem, quanquam fortuitò, rectè tamen sunt appellati: multi tamen non aptè, sed perperam ex Deorũ vocabulis nominati sunt. Cum tacuisset Cleombrotus, eum sermonem admirari omnes cœperunt: cumq; Heracleon rogasset, ecquid hæc Platonem attingerent, & ecquonam modo is huic rei primordium dedisset, hîc Cleombrotus, Probè tu quidem meministi, inquit: nempe quod mundorum infinitatem protinus improbauit, verùm de eorum certa definitaq; multitudine dubitauit: & qui numero ad quinq; de singulis elementis singulos constituerent, credibilitatem eis concessit, sese tamen in vno tenuit. Idq; Platonis proprium videtur esse, cùm alij tantopere multitudinem reformident: proinde quasi eos, qui materiam vno mundo non definiant, sed excurrant, statim interminata asperaq; infinitas excipiat. Tum ego, Hospes ne ille, inquam, item vt Plato de mundorum numero definiebat, an verò toto consuetudinis tempore hac de re eum non conueniisti, neq; quid sentiret, tentasti? Egóne Cleombrotus, si nihil,

inquit, aliud, non hac in re saltem diligens & sedulus auditor esse debui, præsertim cùm se sic facilem præberet & traderet? Ceterùm ille neque infinitos mundos, neq; vnum, neq; quinq; esse dicebat, sed centum octoginta tres, ea serie collocatos, vt trianguli formam efficiant, cuius singula latera sexagenos habeant mundos, qui reliqui tres sunt, singulos angulos obsideant: eos porrò inter se deinceps contingere, ac velut in chorea leniter se torquere. Aequor autem trianguli communem esse omnium focum, & campum veritatis vocari, quo in loco rationes, formæ, exemplaria cuiusq; rei genitæ & gignendæ immobilia sint posita: cumq; ea circundet æui æternitas, labentem eius in mundos tanquam defluxum tempus esse: arbitros autem & spectatores esse decies millesimo quoq; anno humanos semel animos earum rerum, si honestè vitam egerint. Quin augustissimas hîc ceremonias illius ritus ac ceremoniæ, veluti somnia quædam esse: ac propter illius loci pulcritudinem, aut certè frustra, homines de litteris commentari philosophariq; memorabat. Istos, inquit, his de rebus explicatus diligenter audiebam, cùm interim, vt in sacris & initiatione assolet, nullam certam rationis conclusionem, nullam probationem afferret. Hic ego Demetrium appellans, Cedo sis, inquam, versus procorum in arcus tractatione V-

lyssem

lyſſem admirantium: quos vt ſuggeſſit, Enimuerò, inquam, eos in mentem mihi venit de hoſpite vſurpare: Ille quidem venator erat, furaxq; decretorum rationumq; variarum, vt litteras multùm peruagatus, nec Barbarus natione, ſed Græcus multa Græcorum eruditione tinctus. Eum quidem certè mundorum numerus planè indicat, qui nec Aegyptiorum eſt, nec Indorum, ſed Dorum ex Sicilia, ab homine Himeræo Petrone profectus, cuius libellum non ſanè legi, atq; haud ſcio an extet: Hippys tamen Rheginus, cuius Phanias Hæreſius meminit, iſtam narrat Petronis opinionem atque rationem, centum octoginta tres eſſe mundos mutuo ſe elemento tangentes. Sed quid elemento tangere vocet, neq; declarat, neq; aliam probabilitatem vllam adhibet. Excipit Demetrius, &, Ecqua verò, inquit, iſtis in rebus credibilitas eſſe poſſit, cùm Plato, etſi nihil aut conſentaneum aut credibile afferebat, tamen planè eam opinionem euerterit. Et Heracleon: Atqui vos, inquit, Grammaticos audimus ad Homerum opinionem iſtam referre. Quod eum dicatis vniuerſitatis diſtributionem in quinq; mundos feciſſe, celum, aquam, aërem, terram, olympum: quorum duos communes reliquerit, terram omnium inferorum, olympum omnium ſuperorum, tres interiectos tribus Deis attribuerit. Similiter Plato videtur pulcherrimas

& primas corporum formas & figuras, vniuersorum dissimilitudini distribuens, quinq; mundos vocare, mundum terræ, aquæ, aëris, ignis: vltimum hos continentem & arcentem dodecaëdri mundum, longè lateq; diffusum, & volubilem, vt figuram animorũ volubilitati & motui aptam ac decoram, reddidit. Tum Demetrius: Quorsum, inquit, in præsentia Homerum citamus? fabularum enim plus satis est. Plato autem plurimùm ab eo abest, vt quinq; illas mundi dissimiles naturas, quinq; mundos appellet: atq; vbi eos oppugnat, qui infinitos mundos esse statuunt, singularem eum & vnigenam Deoq; charum; ex tota materia corporea integrum & perfectũ, seipsoq; contentum, esse procreatum dicit. itaq; iure quis miretur, quî factum sit, vt cùm verum ipse dixerit, incredibilis tamen & ratione carentis sententiæ alijs auctor fuerit. Nam qui mundum vnum non teneat, is quodammodo caussam argumentumq; eius rei habeat vniuersi infinitatem: qui tot circumscriptè statuat, nec plures quinq;, nec pauciores ponat, omnino præter rationem, fidemq; faciat: nisi, ad me conuersus inquit ille, tu forsan quid ad hæc? Tum ego: Siccine, inquam, placet omissa ista de oraculis instituta disputatione, vt iam profligata & confecta, aliam assumere? Minimè verò, inquit ille, omissa, sed hæc tamen non prætermissa, quæ tanquam manum

manum nobis injicit. Neq; enim immorabimur, sed eatenus attingemus, quoad probabile aliquid eliciamus: deinde mox ad institutū reuertemur. Tum ego: Primùm, inquam, quæ mundorum infinitatem prohibent, ea quo minus vno plures faciamus, nihil impediunt. nam vt in singulari, ita quoq; pluribus in mundis, diuinatio poterit extare, prouidentia, exiguus fortunæ interuentus, in plurimis maximisq; rebus ordo & constantia, ortus præterea & commutatio, quorum nihil in infinitione potest esse. Deinde consentaneum profectò magis est, nec vnigenam, nec soliuagum esse mundum. Nam cum probitate perfecta excellat, nullius certè virtutis indiget: minimè autem omnium iusticiæ & amicitiæ, quæ non solùm ipsæ pulcerrimæ sunt, verumetiam Dijs decoræ. nihil porrò frustra Deus aut inutile habere solet. Quare alij sunt foris Dij & mundi, in quos virtutibus illis in communitate & societate positis vtitur: neq; enim aduersum se aut aliquam sui partem, iusticia, gratificatione, bonitate quis vtitur: sed aduersum alios. Quamobrem verisimile non est, mundum hunc amicitiæ, vicinitatis, coniunctionis expertem, in infinita inanitate tanquam fluitare: cum præsertim naturam videamus singula generibus & formis, tanquam vasculis & seminū folliculis, continere. Nihil enim in rerum natura solitarium vnumq;

numero reperias. Neq; verò communis alicuius rei ratio esse, neq; communis appellationem adipisci potest, quæ non communiter, quale aliquid est, sed propriè declarat: atqui mundum negant esse communiter qualem. Ecquo igitur tandem pacto qualis sit ex dissimilitudine, quæ mutuò intercedere cum alijs cernatur, qui sibi vni cognatus atque vnius modi, talis esse procreatus agnoscitur? Nam si neq; homo singularis, neq; equus est in rerum natura, neque stella, neque Deus, neq; Dæmon, quid vetat non vnicum in natura mundum, sed plures extare? Etenim qui affert in eo vnicam esse terram, vnicum mare, quod promtum & perspicuum est, non videt, res esse aliquas, quæ partium similitudine censeantur. Terram enim in partes eiusdem nominis diuidimus, & mare: at mundi partes non item mundus vocantur, cùm ex diuersis naturis sit coagmentatus. Nam quod nonnulli tantopere formidant, atque ideo vniuersam materiam in hunc mundum consumunt, ne, si quid foris eius reliquum sit, impulsionibus & plagis huius coagmentationem labefactet & disturbet, temerè formidant. Plures enim si mundi sint, ac priuatim cum sua quisq; substantia & materia modum & terminum certum definitumq; sortiatur, nullæ vacabunt tanquam reliquiæ vel ordinis vel descriptionis expertes, quæ extrinsecus inferantur.

tur. Quippe cum cuiusq; ratio materiæ contributæ compos atq; moderatrix, nihil erumpere & euagari in alium, nec ex alio in se sit permissura: præsertim cum eorum turbam nec interminatam nec infinitam habeat natura, neq; motum temerarium & inordinatum. Quod si quid ab alio ad alium permanet, id cognatum blandumq; est, & cuiq; accommodatum miscetur, vt siderum fulgor & mutua temperatio: tum autem beneuolo conspectu inuicem se mundi intuentes oblectantur, & Deis plurimis & optimis vnumquenq; incolentibus, congressus & inuitamenta conciliant. Nihil enim horum fieri non potest, nihil horum fabulosum est, nihil horum à ratione alienum. nisi fortè quis Aristotelis decreta veretur, vt naturalia: quod cum, vt ait, corporum quodq; suum propriumq; obsideat locum, necesse sit terram vndique ad medium ferri, quam humor, suopte nutu leuioribus subsidens, inundet. Quocirca si plures sint mundi, futurum, vt multifariam terra igni sit & aëre superior, multifariam inferior: similiter vt in alijs aër & aqua in naturali sede consistant, in alijs minimè: quod cum factu sit nefas, vt censet, neq; duos, neq; plures mundos esse putat, sed hunc vnum ex vniuersa materia compositum, ita natura collocatum, vt corporum dissimilitudini conuenit. Verùm id credibilius quàm verius

dictum

dictum esse videtur. Sic enim, mi Demetri, rem considera. Cùm corporum partim ad medium & deorsum ferri dicit, partim à medio & sublime, partim circum & in orbem, cuius tandem comparatione medium sumit? non enim inanis, quod de eius sententia nullum est, & de quorum est, medium tamen non habet, vt nec principium, nec extremum. Nam hi sunt termini, cùm infinitas sit interminata. Quòd si quis eum oratione cogat audere infinitum inane fateri, ecqua in eo tamen motionum differentia corporib. cieri possit? Neq; enim in inani corporum vis inest, neq; corpora impetum aut propositum habent, quod medium appetat, & eò vndiq; contendat: verùm inexplicabile est intellectu, corpora inanima ad incorporeum & indifferens ferri, & vel ex se ipsa cieri, vel ab illo trahi & allici. Relinquitur igitur medium, non loci ratione, sed corporis dici. nam cum mundus hic ex plurimis diuersisq; corporibus vna continuatione & consensione cohæreat, dissimilitudo alias atq; alias motiones necessariò ciet: quod vel ex eo perspicuum est, quia, quorum natura immutatur, eadem quoq; protinus locum commutant. Quippe cùm dissipatio materiam à medio subuolantem circùm distribuat, concretio atq; densatio pessum deprimat, in mediumq; compellat: qua de re pluribus hîc disserendum non est. Quam enim cunq; quis ista-

istarum affectionum & mutationum caussam effectricem & tanquam architectam esse statuet, ea sanè mundum quemq3 in suo statu continebit. Singulis enim suum erit mare, singulis sua terra, cùm suum quisq3 medium habeat, mutationes, affectiones, naturam, potestatem, quæ eodem in statu quemq3 tueatur atque conseruet. Quod enim extra est, siue nihil excedit, siue immensa infinitas patet, medium, vt dixi, præbere non potest: at verò si multi mundi sint, suum quisq3 medium habebit, vt proinde motus sit proprius alijs eò, alijs inde, alijs circum id, vt ipsi partiuntur. Qui autem postulat, vt in mediorum multitudine, omnium vndiq3 ponderum momenta in vnum depellantur, nihil ab eo discrepat, qui in tanta hominum frequentia, in vnam venam vndiq3 omnem sanguinem confluere debere censeat, vnaq3 membrana omnium cerebrum contineri, nefas videlicet arbitratus, si non omnia quæ natura nostris in corporibus solida sunt, vnam obtineant regionem, vicissimq3 mollia vnam sedem. Nam & iste ineptus sit, & ille insulsus, qui molestè ferat, quod quæ integra sint, suas habeant partes situ naturali & ordine collocatas. Illud enim stultissimum esset, si quis diceret aliquem esse mundum, qui lunam ita locatam haberet, vt si in calcibus homo cerebrum gereret, cor in temporibus. Sed qui multos faciunt

ciunt mundos interuallis inter se disiunctos, si eadem opera totis illis & integris sic disiunctis partes dirimant & distribuant suas, improbè non faciant. Nam cuiusq; terra, mare, celum, ita vt naturæ conuenit, posita erunt: tum supera, infera, ambitum, medium, non alterius collatione, neq; extrinsecus habebit, sed intra se quisq; suiq; comparatione. Quem enim extra mundum lapidem nonnulli fingunt, is non ferè vllam status aut motus facultatem affert. Quo enim modo aut grauis insistet, aut ad mundum, vt reliqua pondera, feretur, cum nec pars eius numeretur, nec ei sit contributus? Terra autem, quæ in alio mundo colligata & constricta teneatur, dubitare non oportuit, quî fiat vt huc non suo pondere abrupta transferatur, præsertim cùm videant naturam & firmitatem, qua quæq; partes continentur. Quòd si non ex ipso mundo, sed extrinsecus supera & infera sumemus, in easdem difficultates, in quas seipse Epicurus, nos etiam induemus, qui quidem omnia indiuidua corpuscula in regiones pedibus subiectas detrudit: proinde quasi aut inane pedes habeat, aut in infinitate quicquã, quod supra subterq; sit, cogitare possimus. Itaq; mirari Chrysippũ licet, atq; adeò quærere, quid ei venerit in mentem, vt diceret mundum in medio locatum esse, eiusq; naturam vsurpato ex æternitate medio loco, maximè constabilitam

litam & confirmatam esse ad permansionem & velut incorruptam quandam perpetuitatem. Ista enim lib. quarto περὶ δυνατοῦ, id est, de eo quod fieri potest, dicit: cùm medium loci infiniti non rectè somniet, insulsamq; permansionis mundi caussam ab eo medio, quod nullum est, repetat: præsertim cum alibi sæpè dixerit naturam ijs motibus, quibus aut ad medium suum, aut à medio suo cietur, tanquam dispensari atque contineri. Iam verò reliqua, quæ Stoici obijciunt, rogantes, ecquonammodo fatum vnum, vna prouidentia mansura sit, ac non potiùs multi Ioues futuri sint in mundorũ multitudine, quis pertimescat? Primùm enim si multos esse Ioues ineptum est, an non obsecro, quæ ab eis dicuntur, multò ineptiora erunt? Nam Soles, Lunas, Apollines, Dianas, Neptunos in infinitis mundi conuersionibus infinitos faciunt: Deinde cur necesse est multos esse Ioues, si multi mundi sint, ac non potiùs in vnoquoq; Deum quendã principem ac præsidem totius summæ esse, mente et ratione præditum, cuiusmodi est, qui apud nos omnium dominus & pater vocatur: aut quid vetat Iouis prouidentiæ & fato omnes obtemperare, eumq; vicissim omnes lustrare atque moderari, omnibus principia, semina, rationes eorum, quæ gerantur, largientem? Non enim hic vnum sæpè corpus è deiunctis corporibus coaceruabitur, velut concio,

concio, excercitus, chorus, quorum in quoq; & vita & intelligentia & disciplina insit, vt Chrysippus censet, & in vniuersitate decem vel quinquaginta, vel centum mundi, qui vna vtantur ratione, ad vnumq; principium pertineant, inesse non poterunt: immò verò descriptio talis & designatio inprimis è Deorum dignitate fuerit. Quippe cùm minimè deceat, vt examinis duces, item Deos nunquam extra prodeuntes inducere, nec sepimento quodam materiæ clausos, immò verò circumuallatos tenere: velut isti Deos, cùm aëris certos quosdam habitus faciant, aquæ & ignis certas quasdam potestates credant in ipsis fusas, pariter cum mundo & generant & exurunt, non tamen solutos & liberos, vt aurigas & gubernatores, sed vt signa suæ basi affixa, & tanquam adplumbata cohærescunt, sic in corpoream molem inclusos habent, & tanquam cuneolis quibusdam iniectis illigatos, tandiu cum ipsa consociatos, dum interitus, dissolutio, vniuersaq; commutatio sequatur. Illa verò ratio est, vt existimo, & præclarior & magnificentior, vt Tyndaridæ tempestate iactatis opem ferunt, aduentu suo statim violentiam ponti præcipitesq; ventorum flatus mulcentes, cùm tamen haudquaquam vnà nauigent & periclitentur, sed salutares sospitesq; superueniant: sic Deos remoto omni herili imperio liberos suiq; iuris, aliàs alium

subire

subire mundum spectaculi voluptate captos, & cum ipsa natura ad regendum conspirantes. Nam Homericus Iupiter non admodum longè oculos à Troia in Thraciam deflectit, & Nomadas Istrum accolentes: at verus Iupiter honestas habet & decoras multis in mundis vices, non in vacuum infinitum extra intuens, nec de seipso, nulla autem alia de re, vt nonnulli arbitrantur, cogitans: sed plurima Deorum & hominum opera, motus astrorum & cursus, quorum stata sunt conuersiones, aspiciens. Nec enim Deus à mutationib. odio quodam abhorret, sed si quid ex ijs, quæ sub oculos cadunt, augurari licet, celestibus vicissitudinibus & conuersionibus vehementer oblectatur. Quo fit vt infinitas modis omnibus amens sit & inconsiderata, nusquamq; Deum adhibeat, verùm in omnib. rebus fortuna & temeritate vtatur: sed mihi in definita mundorũ multitudine & numero procuratio & prouidentia nullum habere munus illiberalius nec laborioſius videtur, quàm ea, quæ vni implicata est corpori et innexa, quod infinitè aliter atq; aliter interpolare, instaurare, renouareq; soleat. Quæ cùm dixissem, finem feci. Hîc Philippus non multò pòst, Equidẽ istis, inquit, de rebus, vtrúm ne ita sit an secus, nihil affirmare ausim: sed si Deum extra vnum educimus mundũ, cur quinq; solùm mundorum, non plurium effectorem eum

molitoremq; faciamus, & quæ huic numero cum ea multitudine ratio intercedat, libentius intelligam, quàm quo consilio hic ei consecratum sit. Neq; enim triangulus est, aut quadratus, neq; perfectus, aut tessellatus, neq; vllam aliam ostendit elegantiam ijs, qui talia amplectuntur & suspiciunt: illa autem ab elementis profecta ratio, quam subobscurè Plato ipse innuit, omnino intellectu difficilis est, nullumq; argumentum præ se fert, quod eum induxerit, vt diceret, quemadmodum quinq; corpora angulorum, laterũ æquorum æqualitate comprehensa in materia generantur: item quoq; æquum esse protinus totidem mundos ex ijs effici. Tum ego, Enimuerò Theodorus, inquam, Solensis explicans ea, quæ apud Platonem mathematica sunt, non malè eam rationem videtur hunc in modum tractare: Pyramis, octaëdron, icosaëdron, dodecaëdron, quæ prima Plato ponit, cùm omnia pulcra sunt, & commensione proportionum et æquabilitate, tum nihil naturæ ijs præstabilius, nec aliud quicquam simile relictũ est, quod vel condat vel coagmentet: nec tamen sunt omnia vnam coagmentationem sortita, nec similem originem habent, sed omnium minima est & tenuissima pyramis, maximum & partib. numerosissimum dodecaëdron. De reliquis duobus icosaëdron multitudine triangulorum maius est amplius duplo quàm octaë-

dron.

dron. Proinde ortum omnia habere simul ex vna materia nefas. nam tenuia, parua, & tanquam fabricatione & constructione simpliciora, prima molienti fingentiq; materiam parere, & effici necesse est, & ante ea oriri quæ partibus grandioribus integrata & corporatiora sunt, quorum è numero molitionem operosiorem habentiũ, est dodecaëdron. Ex quo efficitur esse corpus primum solam pyramidem, aliorum nullum, vt quæ natura sint ortu posteriora. Huius ergo incommodi remedium præstò est, materiæ distributio, & partitio in quinq; mundos. Alibi enim pyramis, prima in lucem prodit, alibi octaëdron, alibi icosaëdron: ex eo autem, quod antè extiterit, reliqua deinceps originem ducent, cùm vicissitudo quædam eueniat, omnibus in omnia concedentib. per partium concretionem & dissipationem, quemadmodum ipse Plato, omnia ferè percensens, declarat, nobis breuiter didicisse satis erit. Quoniam aër ignis extinctione nascitur, vicissimq; attenuatus de se ignem edit, in vtriusque tanquam seminario, & affectus & mutationes spectandæ sunt. Seminarium autem ignis est pyramis, ex viginti quatuor primis triangulis: aëris octaëdron ex ijsdem quadraginta octo. vnum ergo gignitur aëris elementum è duob. ignis commistis atq; cohærentibus: contrà aër minutatim dispertitus, in duo ignis corpora dissipatur, rursumq;

sumq3 compressus & in se considens, in humorem abit: vt in omnibus, quod prius extat, semper facilem alijs ex mutatione originem suppeditet, nec vnum sit tantùm, quod primum habeatur, sed omnibus eiusdem nominis societas seruetur, cùm aliud in alio corpore anteceptam quandam & principalem originis suæ vim obtineat. Tum Ammonius, Hîc quidem, inquit, & pro sua virili & splendidè Theodorus elaborauit: veruntamen mira sunt, ni se sumtiones, quibus vsus est, mutuò euertere videantur. Censet enim eodem tempore illa quinq3 nequaquam componi, sed vt tenuissimum quicq3 est & minimi negotij ad coagmentandum, ita ante alia in lucem prodire: deinde tanquam consequens ac non repugnans ponit, non omnem materiam primùm, quod simplicissimum est & leuissimum, proferre, sed nonnunquam ea, quæ ponderosa sunt & partibus numerosa, è materia prima ad ortum emergere. Ad hæc cum quinq3 prima corpora subsint, ac totidem ideo mundi esse dicantur, in quatuor solis fidem facit, tesseram, vt in calculorum lusu subducit, cum tessera in illa suapte natura mutari non possit, nec illis, vt in ipsam mutentur, potestas sit, quòd trianguli non sint eiusdem generis. Commune enim omnibus illis subijcitur semitriangulum, huic singulare soli isosceles, quod cum semitriangulo nulla copulatione temperatione q3

tioneq̃ coniungi potest. Igitur si, cum quinq̃ corpora prima sint, totidemq̃ mundi, tessera in quoq̃, vbi prima nata est, principatum originis habet, nullum aliorum existet: quippe cum in illa commutari tessera non possit. Omitto quòd dodecaëdri, quod dicitur, elementum aliud facit, non illud Scalenum, ex quo Pyramidem, octaëdron, icosaëdron Plato componit. Itaq̃ ridens Ammonius, Aut ista tibi sunt, inquit, diluenda, aut de communi ista quæstione proprium aliquid dicendum. Atq̃ ego, nihil, inquam, in præsentia credibilius, quod dicam, habeo, verùm satius fortasse sit in disquisitionem vocari, suam quàm alienam opinionẽ præstantem. Rursus igitur iam inde ab ipso exorsus capite dico, naturæ cùm subsint duæ, altera quæ sensui opinionem sui affert, ortu & interitu mutabilis, atq̃ vltrò citroq̃ variè commeans, altera ratione & intelligentia comprehensibilis, quæ vna & eadem semper est, permirum sit sodes, cum illa, quæ ratione sapientiaq̃ continetur, dispertita sit, & in se dissimilitudinem habeat, si quis corpoream & patibilem cohærentem suoq̃ nutu in se conuersam non relinqui, sed dirimi atq̃ distrahi indignè molesteq̃ ferat. Quippe cùm manentia quæ sunt & diuina, arctiori se complexu tenere debeant, omnemq̃, quantum fieri potest, diuisionem distractionemq̃ fugere: & tamen vis alterius at-

tingens ea, quæ intelligentia continentur, maiores omni loci disiunctione & distantia, in ijs rationis & formæ dissimilitudines efficit. Quapropter Plato eos, qui vniuersum esse dicunt vnum, oppugnans, & id quod est, dicit esse, & idem & alterum, præterea motum & statum. Itaq; cùm ista, quinq; sint, profectò admirandum non est, corporeorũ illorum quinq; elementorum singula singulorum simulacra & imagines naturam esse molitam, non integra tamen neq; sincera, sed quodq; cuiusq; potestatis maximè particeps. Nam tessera planè status proprium corpus est propter æquorum stabilitatem & firmitatem: pyramidis autem igneam mouentemq; naturam in gracilitate laterum & angulorum acumine quiuis agnoscat: at dodecaëdri natura, quæ alias figuras complectitur, eius quod est imago in vniuersitate corporata extitisse videtur: è duobus reliquis icosaëdron alterius formam, octaëdron eiusdem adepta sunt, quorum vnum aërem, qui naturam omnem in sua specie continet, alterum aquam, quæ temperatione in plurima qualitatum genera conuertitur, edidit. Quamobrem si natura æquabilem tributionem omnibus in rebus postulat, verisimile est mundos quàm exemplaria, neq; plures, neque pauciores extitisse, vt exemplar quodq; in quoque principatus conditionem potestatemq;, quemadmodum habet in

corpo-

corporibus componendis, obtineat. Sed hæc ad illos oratio pertinet, quibus mirum esse videtur, quòd naturam ortu & mutatione variam in tot genera diuidamus. Nunc ad illud mihi omnes pariter animum attendite: è supremis vltimisq; principijs, vno, inquam, & interminata dyade, hæc omnis deformitatis & perturbationis elementum, infinitas vocatur: illa autem vnius natura terminando & comprehendendo infinitatis inanitatem, à ratione vacuitatem, & interminationem informat, & vt appellationem in ijs, quæ in sensibus consident, demonstrationis comitem subeat & recipiat, vtique efficit. Quæ quidem principia primùm in numero cernuntur, atque adeo ne multitudo quidem numerus omni ex parte est, nisi tanquam forma, quicquid materiæ ex interminationis infinitate aliàs vberius, aliàs exilius inest, deciderit. Tum enim demùm quæq; multitudo numerus efficitur, cùm vnitate terminatur. Sin vnitas tollatur, rursus omnia conturbans interminata dyas, numerum ad infinitatem immensitatemq; redigit. Sed quoniam species non est materiæ labes & euersio, sed eius subiectæ conformatio & dispositio, necesse est in numero vtrunq; principium inesse: vnde prima & summa differentia & dissimilitudo extitit. Nam interminatum principium tanquam architectatur

numerum parem, velut principium melius impa-
rem : in paribus autem prima sunt duo, in impa-
ribus tria, ex quibus quinq; nascuntur, numerus
compositione amborum communis, potestate im-
par. necesse enim erat, cùm plures in partes, id
quod sensum pellit corporatumq; est, propter
cohæsionem diuidatur alterius necessitate, neq;
primum numerum, parem esse, neq; primum,
imparem : sed tertium ex ijs conflatum, vt ab
vtroq; proficiscatur principio, tum eo quod pa-
rem efficit, tum eo quod imparē : fieri enim non
poterat, vt alterum ab altero discederet, cùm
vtrunq; principij naturam & potestatem obtine-
at. Ambobus igitur copulatis præstabilius prin-
cipium, interminatione, quæ dirimere solet, coër-
cita ac superata, corporeum quod est compara-
uit, & cùm materia vtrobique distraheretur,
mediæ vnitatis interiectu, ne vniuersa bipertitò
discederent, perfecit. Verùm mundorum quidem
multitudo exorta est, ex eo quod in termina-
tione diuersum est & differens : multitudinem
verò imparem eius, quod idem est & definitum,
potestas extulit : huiusmodi porrò imparem mul-
titudinem edidit, quod non longius naturam,
quàm commodum esset, progredi permisit. Nam
si quod vnum est, merum & purum fuisset, nul-
lum prorsus materia discessum, secretionemq;
haberet : nunc quia dissipante dyade admistum

est,

est, diuisionem & partitionem recipit, quæ illic impari parem cohibente instituit. Proinde ab antiquis πεμπάσαδος *numerare in consuetudine sermonis dicebatur, atq; arbitror* πάντα, *id est, omnia, à* πέντε, *id est, quinq; deducta esse, non abs re, cùm præsertim pentas ex primis numeris integrata sit. Nam & alij numeri cum alijs multiplicati in diuersum numerum abeunt: at quinarius si pariter sumatur, decem perfectum numerum edit: sin impariter, se rursum procreat. Omitto quòd primùm è duobus primis quadratis quinarius constat, vno et quatuor: deinde quod cùm princeps tantundem, quantum duo eum antecedentes numeri, valeat, triangulum rectangulorum splendidissimum constituit: quòd deniq; princeps proportionem sesquialteram parit. Non enim ista proposito fortasse negotio conueniunt: verùm illud potiùs, hoc in numero vim inesse accommodatam ad diuidendum, eoq; naturam plurima partiri. Nam & quinque sensus possidemus, & totidem animi partes, naturam, sensum, cupiditatem, iracundiam, rationem, & huius numeri in vtraq; manu digitos, & fœcundissimum semen quinq; partitum est. Non enim temerè proditum est, vllam mulierem plures quinq; vno vtero enixam esse, & Rheam Aegyptij quinq; Deos peperisse in fabulis narrant, quinque mundorum ex vna*

materia procreationem obſcurè adumbrantes. In hac quidem rerum vniuerſitate terra quinq; cingulis, celum quinque circulis diſtinguitur, arcticis duobus, totidem tropicis, medio æquinoctiali: quinque ſunt etiam ſtellarum errantium ambitus, cum Sol, Lucifer, & Mercurius ſocia pariq; luſtratione verſentur. Sed & ipſa mundi conſtructio concentus eſt particeps, vt quod apud nos in fidibus intentum eſt in quinq; tetrachordorum collocationibus, ſummarum, mediarum, coniunctarum, diſiunctarum, ſuperlatarum: modulata quoq; totidem interualla ſunt, diëſis, hemitonium, tonus, ſeſquitonus, ditonum. Ita videtur natura magis delectari rebus omnib. quinis procreandis, quàm figura, vt Ariſtoteles cenſet, globoſa. Dicet aliquis, Cur, obſecro, Plato quinq; mundorum numerum ad quinque figuras retulit, cum dixit Deum in vniuerſi deſcriptione quinto corpore vſum eſſe? deinde cum de multitudine quæſtionem inducit, vtrum ne vnum, an quinq; genitos eſſe verè oporteat dicere, ecquamnam propterea ſuſpicionem præ ſe ferre videtur? nempe quòd, ſi eius informanda credibili coniectura ſententia eſt, conſentaneum id eſſe cernebat: cùm præſertim neceſſariò ſtatim motuum diſſimilitudo, comes ſit diſſimilitudinis corporum & figurarum illarum, quemadmodum ipſe docet, in concretionibus & diſſipationibus

cum

cum rei mutatione locum etiam pariter commutari prædicans. Si enim ex aëre naſcatur ignis octaëdro diſſoluto, & in metas diſſipato: aut viciſsim aër ex igne in octaëdron coacto atq; compreſſo, fieri non poteſt, vt in priſtina ſede maneat, ſed alias in oras fugit & rapitur, quicquid occurrit & obſtat, oppugnans, atq; perrumpens. Atq; id quod tum euenit, illuſtrius etiam imagine quadam declarat: ſimiliter atq; ea, quæ ventilabris & inſtrumentis ad triticum purgandum comparatis excutiuntur et euannantur, elementa dicens materiam mouentia, & ab ea viciſſim agitata, ſimilia ſemper ad ſimilia accedere, aliamq; alijs ſedem fuiſſe, vel antequam ab eis hæc rerum ſumma exornata & comta eſſet. Cum igitur tum ſic affecta & conſtituta materia eſſet, vt par eſt illa affecta eſſe, vnde Deus abeſt, ſtatim quinque primæ qualitates ſua quæque momenta habentes, ſuopte nutu diuerſæ ferebantur, non tamen omni ex parte puræ, nec ſincerè mereq; ſecretæ, quod in omnibus rebus, quæ permiſtæ ſunt, ſemper quod ſuperatur, contra naturam, ea quæ ſuperant, ſequatur. Quocirca cùm alia alio mouerentur, pares corporum generibus partes diſtinctionesq; extiterunt: vna ignis non puri, ignea tamen forma: altera ætheris non liquidi, ſed ætherea ſpecie: alia nõ terræ per ſe meræ, terrena tamen forma:

ſed

sed vel maximè tamen aëris & aquæ natura promiscua fuit, propterea quod, vt dictum est, alijs multis admixta generibus discesserit. Materiam enim Deus locis, neq; discluſit, neq; diremit, sed ipsam sua sponte diremtam, & in diuersa euntem, cum valde inordinatam accepisset, proportionis & medietatis temperatione & moderatione ordinauit atque accommodauit. Deinde cùm rationem cuiq; vt præfectam custodemq; præposuisset, mundos totidem, quot erant prima corpora, condidit. Atque hæc quidem Platonis elegantiæ propter Ammonium nuncupata & dicata sint. Ego verò de mundorum numero nunquam affirmauerim tot esse: tametsi eam opinionem quæ plures vno, nec tamen infinitos ponit, sed certos atq; definitos, neutra earum à ratione alieniorem puto, cùm præsertim materiam natura dissipabilem & diuiduam intelligam, neq; intra vnum consistere, neq; ratione refragante in infinitos progredi posse. Quòd si quo alio in loco, hîc certè academiæ imprimis memores ex animis nostris credulitatem detrahamus, fidemq; firmam, vt in loco lubrico & periculoso in infinitate sola teneamus. Quæ cum dixissem, Demetrius, Rectè quidem Lamprias, inquit, suadet: multis enim modis Dij nos, non, vt Euripides ait, captionum, sed rerum fallunt, cùm tantis de rebus velut scientiam complexi audemus

mus pronunciare. Sed referenda nobis oratio est, vt idem ait, ad disputationem initiò susceptam. Quod enim dictum est, discedentibus & relinquentibus oracula Dæmonibus, vt artificibus instrumenta, ea & ignaua iacere & muta, maiorem quandam excitat disputationem, quænam causſa sit atq; vis, qua furoris instinctu afflatos, & visionum impulsione præsagos reddunt diuinos atq; diuinas. Nec enim fieri potest, vt desertionem causſam esse statuamus, cur oracula conticescant, nisi sciamus, quo pacto Dæmones ijs præsideant, atq; ea sua præsentia operosa & fatidica reddant. Tum suscipiens Ammonius, Aliud ne, inquit, arbitraris Dæmonas esse, quàm animos, qui de Hesiodi sententia circumeant aëre amicti? Quæ enim est hominis dissimilitudo cum homine, vel tragœdiam, vel comœdiam agente, mihi eam habere dissimilitudinem videtur animus cum animo, qui hac in vita corpore sit indutus. Non igitur aut mirandum est, aut à ratione abhorret, animos in animos incidentes, futuri visionem eis & imaginem obijcere: velut inter nos non omnia voce declaramus, sed & litteris, & solo tactu & aspectu, multa & præterita indicamus, & futura præsignificamus: nisi quid tibi Lampria videtur secus. Nuper enim ad nos cuiusdam sermone allatum est, te multa hisce de rebus Lebadiæ in peregrinis disse-

ruisse,

ruisse, quorum tamen nihil auctor ille explorate certoq; memorabat. Atq; ego, Non sane mirum, inquam: multorum enim eodem tempore negotiorum interuentus & occupationum, quæ propter oraculum et sacrificium incidebant, effecit vt sermo noster disiectus spargeretur, atque dissipatus. Et Ammonius, Atqui nunc, inquit, & auditores nactus es otiosos, & qui omni contentione remota, concertationisq; studio, venia autem, vt vides, & libertate omni sermoni data, ad exquirendum discendumq; parati sint. Eò me alijs adhortantib. cùm paululum reticuissem, Enimuerò nunc fortuna quadam, inquam, tute Ammoni, illi sermoni, qui tum habitus est, principium ingressumq; præbuisti. Nam si animi à corpore secreti, aut qui nunquam corporis participes fuerunt, de tua & diuini Hesiodi sententia Dæmones sunt, sancti, terricolæ, atq; hominum custodia, cur animos in corporibus inclusos ea virtute priuamus, qua dæmones futura prænoscere, & prænunciare possunt? Neq; enim verisimile est potestatem vllam aut partem animis corpore exutis accedere, quam antè non possederint, sed semper easdem habere: verùm dum corporibus immixti sunt, vitiosiores ac deteriores habere, partim etiam penitùs exiles & latentes, partim infirmas & obscuras, nec aliter quàm qui per nebulam aspiciunt, vel in humore mo-

re mouentur, in munere fungendo laborioſas atque tardas, magnam quandam eius, quod ſuum eſt, curam & recuperationem deſiderantes, eius quod fallit, detractionem & purgationem. Quippe quemadmodum Sol, non cùm effugerit nubes, tum demùm ſplendore colluſtratur: ſed ſemper luminoſus eſt, tum autem nobis in nebula caliginoſus apparet, & obſcurus: Sic animus, non cum è corpore tanquam nube exceſſerit, diuinam vim vt aduentitiam acquirit, ſed ea nunc quoque præditus, cæcus tamen quodammodo eſt: quod cum corpore mortali confuſus atq; permiſtus ſit. Neq; verò id admirabile, aut incredibile debet videri, cum ſi nihil aliud, in animo certè videamus, quantum opus memoria, quæ diuinationi è regione reſpondet, declaret præterita ſeruando atque cuſtodiendo. præterita autem? immò verò præſentia. Nam quod fuit, nullum profectò eſt, nec vſquam extat, ſed actiones, ſermones, perpeſtiones, tempore tanquam fluctu rapiente, ſimul ac ortæ ſunt, intereunt: at hæc animi vis, neſcio qua comprehenſione ea, quæ præſentia non ſunt, viſo quodam conformat, & tanquam in rerum natura ponit. Nam quod oraculum Theſſalis de Arna editum eſt, dicere iubebat: Quis ſurdi auditus, quæ viſio cæci: at memoria nobis ſurdarũ rerum eſt auditus, cæcarumq; aſpectus. Quamobrem

non

non est, vt dixi, mirandum, animum, cùm quæ iam non sunt complectatur, multa quæ nondum facta sunt, antecapere: quippe cum hæc magis ei affinia sint, & ab his cognatione quadam & consensu afficiatur. In posterum enim incumbit, & se applicat, & à præteritis & finem adeptis, præterquam recordando sese remouet. Cum igitur hæc vis animis natura insita sit, etsi obscura & ad visorum informationem difficilis, tamen in nonnullis animis, tum insomnijs, tum in sacris efflorescit, & exuscitatur, cum vel corpus integrum ac purum est, vel temperamento quodam ad id apto viget, aut cum ratione & cogitatione relaxata, & à rebus præsentibus liberata & auocata, pars ea, quæ ratione vacat, & visis pellitur, in futurum intenta est. Non enim, vt Euripides ait, Bene qui conijciet, vatem hunc perhibebo optimum: sed hominem dicam non imprudentem, qui eius animi partis, quæ ratione prædita est, & probabili argumento ducit, viam sequatur: at verò illa animi pars, in qua diuinatio viget, tanquam codicillus, suapte natura, illiterata est, & rationis ac determinationis expers, quæ cùm fungendo visiones recipiat & præsentiat, sine ratiocinatione vlla futurum auguratur, cum à præsenti maximè recessit. Recedit autem, cùm ea est corporis temperatio & habitus, vt immutetur in eum, quem instinctum

affla-

afflatumq; diuinum vocamus. Ac eo quidem modo sponte naturæ sæpe corpus constitutum & affectum est: at verò terra cùm aliarum multarum potestatum fontes hominibus aperit, qui partim mentem è sua sede & statu demoueant, morbos & lethum inferant, partim commodi sint, iucundi, vtiles, vt, qui experiuntur, sentiunt: tum verò diuinationis æstus & halitus diuinissimus & sanctissimus est, siue per aërem solus, siue cum humore scatente tollatur. Nam infusus corpori, insolitam quandam & inusitatam temperationem affert, cuius proprietatem liquidò explicare difficile est, multis tamen modis, vt de eo suspicemur & conijciamus, ratio suppeditat. Verisimile est enim, calore & diffusione ab eo foramina quædam aperiri, in quibus vis insit, quadam impulsione futurum præsagiens: quemadmodum vinum excitatis vaporibus cùm alios multos impetus ciet, tum reconditos animi sensus & latentes detegit. Bacchatio enim & insania, vt Euripides ait, multùm diuinationis habet, cùm animus concalefactus & inflammatus timorem expulit, quem prudentia mortalis secum trahens, sæpe diuinum inflatum auertit, atq; restinguit. Non temere forsitan quis etiam dicat, vi siccitatis cum calore in corpus insinuantis, spiritum subtilem, ætherium, purumq; reddi. Splendor enim siccus, vt Heraclitus ait,

animus est sapientissimus: at humor non tantùm oculos & aures obtundit, verùm etiam contagione sui, speculo nitorem, aëri suffusione sui, lucem eripit. Contra etiam fortasse fieri potest, vt spiritus refrigeratione & concretione, tanquam quadam ferri tinctura, pars illa animi, quæ præsagit in nobis, exoriatur, aciemq; ducat. Quinetiam vt stanno illiquefacto æs rarum & crebris foraminibus laxum, eadem opera simul astringitur atq; densatur, simul splendidius atq; nitidius redditur: ita nihil prohibet, à diuina illa aspiratione, quiddam affine & cognatum animis nostris habente, quæ laxa raraq; sint, expleri, & apta inter se contineri. Nam alia alijs accommodata sunt & idonea, velut purpuræ colorem faba, cocci nitrum, si misceantur, elicere & ducere videntur: atq; vt Empedocles ait, Glaucus miscetur byssо crocus. De cydno quidem & sacra Apollinis secessita, quæ Tarsi est, te, Demetri, narrante, accepimus, ab illo fluuio ferrum illud valentius tergi, neq; alia aqua, quam illa mundari: quemadmodum Olympiæ cinerem affingunt atq; obducunt aræ, aqua Alphei infusa glutinantes, cùm ex alio flumine id tentantes, cinerem cogere & agglutinare non possint. Quamobrem mirandum non est, cum è terra multa effluant, ab his solis animū furibundum reddi, & futuri imagines concipere: sed & sine controuersia

uersia huic rationi fama suffragatur. Produnt enim vim eius loci tum primùm cognitam fuisse, cùm eò fortè fortuna pastor quidam incidisset, furentesq; voces edidisset, quibus primùm ab eis, qui aderant, contemtis, postea autem, quæ ille prædixerat, euentus fide testatis, admirationem esse sequutam: ac Delphorum eruditissimi, nomen quoq; hominis Coretam fuisse memorant. Mihi autem maximè videtur animus cum diuino anhelitu sic temperari atq; cohærescere, vt aspectus cum lumine consentiente atque congruente. Nam cùm oculus cernendi vi præditus sit, non tamen ad suum munus fungendum sine lumine aptus est: itidem ille tanquam animi oculus diuinationis particeps, re aliqua accommodata indiget, qua exacuatur & excitetur. Itaq; multi maiorum nostrorum Apollinem & Solem vnum & eundem Deum esse credebant: qui autem bellam illam & sapientem analogiam callent atque colunt, quam comparationem corpus cum animo, aspectus cum mente, lumen cum veritate habet, eandem esse in vi Solis proportionem cum Apollinis natura comparatam censebant, ab hoc, qui semper est, illum, qui semper gignitur, generari propagariq; existimantes. Sol enim in sensu, despiciendi vim accendit, promouet, & excitat: in animo diuinationem Apollo. Qui autem opinantur vnum & eundem

Deum esse, meritò Apollini & Terræ commune oraculum tribuunt, vt qui existiment, á Sole affectionem illam & temperationem ingenerari terræ, vnde diuinus anhelitus emittatur. Ipsam igitur terram, quemadmodum Hesiodus rectius quàm nonnulli philosophi sentiens, firmum omnium solum appellauit, item & nos sempiternam illam quidem esse & interitus expertem existimamus: eius tamen potestates alijs locis aboriri, alijs oriri, aliunde demigrare, aliò immigrare verisimile est, & huiusmodi vices in ea sæpenumerò toto æuo quodam orbe volui, vt ex ijs quæ videmus, coniectura capi potest. nam lacus, & amnes, & vero sæpius aquæ calidæ alibi deficiunt, & in totum pereunt, alibi tanquam aufugiunt & obliteſcunt: deinde longo postea temporis interuallo, vel ijsdem, vel propinquis locis scatere cernuntur: metalla etiam euanescere non mirum, vt argenti venas in Attica, & æris in Eubœa, vnde fabricabantur durati aquæ rigore gladij, vt Aeschylus ait, Aciem rigentem is ensis Euboici capit: nec ita sanè pridem vena illa Carysti molles lapidum glomos, qui in Licia deducerentur, suppeditare desiit. Nonnullos enim vestrum arbitror, mantilia, plagulas, retia, ex ea materia texta vidisse, quæ neq; amburerentur, & si vsu sorderent, in flammam coniecta nitida & splendida referrentur. Nunc obsoleuit, & vix tan-

tanquam fibræ quædam & capillamenta tenuia in illis metallis intercurrunt: atq; horum quidem omnium Aristoteles in terra effectricem esse tradit exhalationem, qua cum tales naturas pariter deficere, locum mutare, contraq; tanquam efflorescere necesse sit. Idem igitur de anhelitu, quo ad diuinationem inflamur, sentiendum est, in eo non esse vim sempiternam & senij expertem, sed vicissitudini & mutationi obnoxiam. nam & imbribus immensis extingui probabile est, & fulminum iactu dissipari, potissimumq; cum terra mouit, & altè facta labe desedit, & in imo sequuta conturbatio est, exhalationes locum mutare, aut penitus excæcari, vt hîc extare magni terræmotus vestigia narrant, qui etiam vrbem euerterit. Orchomeni dicunt, grassante peste multos interijsse mortales, ac tum oraculum Tiresiæ in totum extinctum esse, & ad hanc diem ignauum mutumq; permansisse. Idem ne verò Ciliciæ oraculis acciderit, vt fando audiuimus, nemo te, Demetri, nobis melius narrauerit. Et Demetrius, Haud equidem, inquit, qualia nunc illa sint, scio: iampridem enim, vt scitis, à patria peregrinor. Illic autem cum essem, etiam tum Mopsi & Amphilochi opertum vigebat: ac quiddam de Mopso maximè admirandum commemorare possum. Ciliciæ præses vt infirma perfidia est, (sceleratus enim erat, & ne-

farius) de Dijs immortalibus dubius animi & incertus hærebat. Is cùm haberet circum se quosdam Epicureos, qui bella illa naturæ ratione freti rebus huiusmodi, vt ipsi loquuntur, illudunt, libertum vt in hostium regionem speculatoris ornatu mittit, cum obsignata tabella, in qua nemine conscio scripta interrogatio erat: qui cum in delubro incubuisset, vt consuetudo est, & obdormisset, vbi illuxit, tale somnium renuntiauit, visum sibi esse hominem videre coràm formosum, qui tantum loquutus nigrum, nihilq; præterea, continuò discessisset. Id verò nobis omnibus absurdum videri, & magnam dubitationem afferre. Præses autem perculsus, admirari, venerari, resignataq; tabella interrogationem ita scriptam nobis ostendere: vtrum tibi candidum bouem an nigrum immolabo? Quo factum est, vt & Epicurei erubescerent, & ille sacrificium illud faceret, perpetuoq; Mopsum coleret. Quæ Demetrius cum dixisset, siluit. Ego verò hîc cùm vellem summa quadam concludere disputationem, ad Philippum & Ammonium, qui vnà sedebant, fortè respexi. Itaq; vt visi sunt aliquid dissentire velle, me retinui. Atq; Ammonius, Habet, inquit, Lampria, Philippus quod de ijs quæ dicta sunt, loquatur: existimat enim ipse, vt & plerique, Apollinem non diuersum à Sole Deum esse, sed eundem: mea autem maior est dubitatio,

maio-

maioribusq; de rebus instituitur. Modò enim nescio quo pacto diuinationem a Dijs remouimus, & in Dæmonas apertè amandauimus: nunc eos hinc exigere & expellere videmur, cùm principium diuinationis, atq; adeò naturam & vim in oraculo & cortina ad spiritus vapores expirationesq; referamus. Quam enim diximus temperationem, calorem, & tanquam ferro tingendo conceptam aciem atq; firmitatem, quantò magis animos à Dijs abducunt, & talem quandam caussæ excogitationem inducunt, quali facit vti Cyclopem Euripides:

Tellus coacta seu velit seu deneget,
Pecus saginat graminis fœtu meum.

Verùm negat ille quidem se Dijs immolare, sed sibi soli, & maximo Dæmonum ventri: nos autem qua tandem mente, quo consilio ob oracula, Dijs victimas cædimus, Deos precibus veneramur, si in seipsis animi diuinationem gerunt, quam amabilis quædam temperatio aut flabilis excitet. Iam antistitarum constitutio quid sibi vult? quid quod sors non editur, nisi hostia toto corpore, dum libamentis mactatur, ab imis vsq; articulis succutiatur & contremiscat? Neque enim satis est quassari caput, vt in alijs sacrificijs, sed omnibus pariter artubus tremorem oportet cum trepido strepitu agitationeq; incessere. Quod si non fiat, oracula negant ab operto reddi,

nec introducunt Pythiam : atqui verisimile est eos, qui ista faciunt, & ex ritu obseruant, Deo, aut Dæmoni maximam caussam asscribere : vt autem tute dicis, non est verisimile. Quippe cùm aspiratio siue hostia tremat, siue non tremat, præsens afflatum allatura sit, & eodem modo animum affectura, non Pythiæ solùm, verùm qualecunq; etiam corpus attingat. Itaq; stultum est, vna muliere ad oracula vti, eiq; negocia exhibere, inungenda perpetuæ castitatis conseruatione & incorruptæ puritatis, præsertim cùm Coretas ille, quem primum Delphi ferunt in oraculum incidisse, virtutemq; loci hominibus indicasse, nihil à reliquis caprarijs & opilionibus differret, si modo id fabulosum non est, nec fictum, vt mihi quidem videtur. Cum enim mecum reputo, quas vtilitates hoc oraculum Græcis attulerit in bellis gerendis, in oppidis condendis, in pestilentia, in annonæ penuria, iniquum esse iudico, fortunæ casuq; temeritati, non prouidentiæ ac numini, eius inuentionem primordiumq; attribui. Aduersus, inquit, ista velim Lamprias disserat : ac obsecro, Philippe, expectes. Et Philippus : Ego verò, inquit, ac libenter quidem, adeoq; omnes isti. Nos enim omnes oratio tua commouit. Tum ego Philippum compellans : Me, quidem, inquam, Philippe, non solùm commouit, verumetiam planè conturbauit,

uit, præsertim cum in hoc vestro tot tantorumq; hominum consessu videar quadam orationis probabilitate præter ætatem insolenter me venditans, aliquid ex ijs labefactare & conuellere, quæ verè pieq; de Deo sentiuntur: respondebo tamen, Platonemq; testem & patronum adhibebo. Vir enim ille priscum Anaxagoram reprehendit, quod naturalibus caussis nimis implicatus, & effectus, qui perpessiones & functiones corporum necessariò consequuntur, persequens & exquirens, finem & efficientem, quæ præstantiores caussæ sunt & principia, prætermiserit. Ipse autem vel primus, vel certè Philosophorum vnus maximè, vtrasq; caussas persequutus est, vt qui Deo principium attribuat eorum, quorum molitio ratione constat, nec materiam tamen spoliet caussis operi necessarijs, sed intelligat istam aspectabilis huius vniuersitatis designationem, nec puram, nec sinceram esse, verùm materia rationi copulata & coniuncta ortum adeptam. Ac primùm in opificijs, ne longè abeas, vides ne vt hîc celebris illa crateræ sedes & natura, quam Herodotus Hypocrateridium appellauit, caussas habet materiales, ignem, ferrum, mollitudinem ab igne, à lacu tincturam, quæ si desint, opus non fuerit: cùm principium tamen etiam præstabilius, quod ea moueret, & eorum ope aliquid moliretur, ars et ratio operi tribuerit.

At qui imitatis istis & effictis simulachris, auctor & artifex inscribitur: Excidium hac Thasius Troianũ pinxit in æde Patre Polygnotus Aglaophonte satus, vt eum sanè pinxisse constat: non tamen absq; pigmentorum coloribus simul tritis & inter se contaminatis fieri poterat, vti pictura eum habitum speciemq; haberet. vtrum igitur qui materiale principium attingat, qui exquirat & doceat eas perpessiones & mutationes, quas sinopis cum ochra mista, cum atramento melinum temperatum suscipiat & subeat, de Polygnoti gloria detrahat? Qui porrò, vt ferrum aciem & mollitudinem ducit, disserat, quòd igni scilicet remissum & solutum ducentibus & tundentibus morem gerat, deinde in frigidam mersum recentem, & frigore ob exortam ab igne teneritatem & laxitatem constrictum & compressum, firmitatem & rigorem acquirat, quod Homerus appellat ferri robur, idcirco ne minus artifici caussam operis seruet? equidem non censeam. Nam & medicæ materiæ aliqui vires explorant & probant, nec tamen medicinam euertunt. Denique nos Plato videre cum censet oculi fulgore cum Solis luce quadam temperatione confuso, audire aëris plaga: non inficiatur nos ratione, & prouidentiæ concessu ac munere vim audiendi & despiciendi consecutos esse. In summa, cum, vt dico, omnis procreationis

tionis duæ sint causſæ. priſci illi Theologi & poëtæ ad præstantiorem ſolam animum adiecerunt, peruagatum illud rebus omnibus accinentes, Principium, mediumq; Iouis, Ioue cuncta creata: ad naturales & neceſſarias cauſſas non item acceſsêre: ijs poſteriores, qui Phyſici vocati ſunt, contra quam illi, à præclaro diuinoq; primordio digreſsi, in corporibus & corporum affectionibus ſummam poſuerunt: quorum vtrorumq; ratio inchoata eſt, neque ſuos numeros habet, cùm alteri, cuius vi & à quo, alteri, ex quibus & per quæ quæq; oriantur, vel ignorent, vel prætermittant: qui autem primus vtranq; cauſſam perſpicuè & planè attigit, & ratione agenti cientiq;, neceſſariò quod acciperet & fungeretur ſubiecit, is omnem etiam pro nobis ſuſpicionem & calumniam diluit. Non enim diuinationem Deo rationeq; ſpoliamus, qui quidem materiam ei humanum animum, ſpiritum autem furore inſtigantem & anhelitum, tanquam inſtrumentum & ſtimulum attribuimus. primùm quidem cum generet illas expirationes ipſa terra, Sol omnem terræ temperationis & mutationis cauſſam affert, qui maiorum ritu et inſtituto Deus eſt. Deinde genios laresq; quum præfectos, circitores, cuſtodes relinquimus, qui hanc temperationem, tanquam modulatam & numeroſam concentionẽ, pro re intendant et remittant,

& ef-

& effrenatiorem eius impetum ac perturbatiorem moderentur & regant, innocuam autem sine offensione vlla impulsionem vtentibus adhibeant, nihil à ratione alienum, aut factu nefas facere videmur, neq; verò ante sacrificando, neque insulis vittisq; victimas coronando, neq; libamentis mactando, contra rationem istam facimus. Nam sacerdotes, & qui hostiam se sacrificare dicunt & immolare, eiusq; motum & horrorem obseruare, idcirco ista faciunt, vt Deus responsa edat. Victimam enim sacro aptam, esse oportet & animo & corpore puram, integram, incontaminatam. Quarum rerum documenta in corpore peruidere non est perdifficile: at animam explorant, in tauris polenta, in capris cicere appositò: si enim non gustent, sana esse non putant. Capram frigida deprehendit, quod animi non sit, vt natura fert, constituti, cum inuergitur humor, nihil affici nec commoueri. Ego verò, vt pro certo constet argumentum esse Dei vaticinaturi, immolationem litatam esse, contrà non litatam non vaticinaturi: non tamen video quid istud officiat ijs quæ diximus. vis enim omnis melius vel deterius in tempore, id quod valet, efficit & præstat: occasionisq; præteritæ Deum signa quædam dare verisimile est. Quare non putem eundem semper habitum esse respirationis illius, sed interdum remitti, interdum incitari,

atq;

atq; eius rei argumentum, quo nitor, testatum est, & multorum exterorum fide, & eorum omnium auctoritate, qui delubrum hoc colunt. Nam cella, in quà consultores oraculi sedere iubent, nec sæpe, nec stato tempore, sed incertis vtcunq; interuallis fragrantia repletur & aura, qualem suauissima & preciosissima vnguenta ex adyto tanquam fonte effunderent. Eam enim verisimile est, aut calore, aut alia quapiam inolescente vi foràs efferri. Quòd si cui istud fortè probabile non videtur, ac certè Pythiam aliàs aliter ac dissimiliter affectam habere eam animi partem, ad quam afflatus pertinet, nec vnum semper temperamentum, quasi concentum immutabilem, omni tempore retinere consiteamini. Nam cùm multæ sentienti, tum verò multò plures cæcæ & obscuræ corpus sollicitant, & in animum clàm insluunt molestiæ & impulsiones, quibus oppletam illuc ire non retulerit, nec se Deo dare, non omni præsertim ex parte puram, tanquam instrumentum constructum & sonorum, sed perturbationis tumultusq; plenam. Nec enim vinum semper eodem modo ebriosum afficit, nec tibia fanaticum: sed ijdem modò remissius, modò vehementius, vel ad bacchationem incitantur, vel ad temulentiam impelluntur, temperamento in ipsis mutato. Inprimis autem pars illa animi, quæ visis pellitur, corporis mutationibus

tionibus obtemperare, atq; pariter commutari videtur, vt ex somnijs perspici potest. Interdum enim fit, vt in multis & varijs somniorum visis versemur, interdum vt perpetua sit ab ijs tranquillitas & quies. Cleonem quidem istum Daulienſem nouimus, qui multis annis, quibus vixit, nullum vnquam somnium se vidisse affirmat: quod etiam ex antiquioribus de Thrasymede Heraeensi memoratur. In causſa est corporis temperatio: contrà melancholici insomnioſi sunt, multæq; eis visorum imagines obuersantur: quanquam videntur eorum somnia plerunq; veraciora. Alio quippe atque alio subinde ea cogitatione, quæ conformationes & imagines effingit, conuersa, vt qui multùm iaculantur, sæpe collimant. Cùm igitur pars ea, quæ visis pellitur & diuinat, probe affecta est ad afflatus, tanquam medicamenti, temperationem, tum in vatibus diuinum furorem generari necesse est: sin secus, vel non oriri, vel oriri tumultuosum, importunum, turbulentum, vt cognouimus in Pythia, quæ nuper mortua est. Nam cùm exteri quidam ad oraculum venissent, victimam ferunt primas libationes inconcussam, nihilq; commotam pertulisse: deinde sacerdotibus certatim vrgentibus modumq; transeuntibus, vix tandem latice obrutam & inundatam cessisse. Quid igitur accidit Pythiæ? nempe inuita, vt narrant,

nec

nec alacris ad opertum descendit: ac statim in primis responsis ex asperitate vocis perspectum est afflatui imparem esse, cum more nauis propere currentis, muto & improbo spiritu abundaret: demùm penitùs consternata, & cum horrendo clamore in exitum properans, sese abiecit, vt non solùm, qui ad oraculum consulendum venerant, sed etiam antistes Nicander, & quicunque sancti aderant, fugerent. Eam tamen paulò post ingressi sustulerunt resipiscentem & mentis iam compotem, diesq; paucos superuixit. His de caussis Pythiæ corpus à rebus venereis castum, & totam eius vitam prorsus à contagione & commercio alienigenarum remotam custodiunt, & ante oraculum signa capiunt, Deo notum esse existimantes, ecquando probè constituta & affecta sit, vt furoris afflatum sine noxa excipiat. Neque enim omnes, neq; eosdem eodem semper modo afficit afflatus, sed tanquam fomitem & principium præbet, vt diximus, ijs, qui ita comparati sunt, vt sint ad perpessionem & mutationem accommodati. Ac vis est illa quidem afflatus planè diuina, non tamen inexhausta, nec interitus & senij expers, nec perennis infinito tempore, cui omnia inter Lunam & terram interiecta nostra ratione succumbunt: nec desunt, qui summa illa celi templa ætatem non ferre prædicent, sed æternitate æui infiniti tandē

fatiga-

fatigata & deficientia, celeriter immutari atq; renouari censeant. Hæc & mihi & vobis magnoperè auctor sim, vt sæpè etiam atq; etiam consideremus, cùm præsertim multas reprehensiones habeant, suspicionesq; quæ in diuersum ferant, quas non est operæ nunc omnes persequi.

Quare & hæc differantur, & quæ Philippus de Sole & Apolline addubitat.

ADRIA-

ADRIANI TVRNEBI IN EVNDEM LIBRVM DE DEFECTV oraculorum annotationes.

AQuilas.] *Credidit antiquitas Delphos orbis terrarum medium esse, qua ex opinione ab Ouidio scriptum est:*

& orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi.

& ab auctore obscœni carminis:

Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis vmbilicum.

Huic famæ accedebat fabula, quam interpres Pindarii refert, Ioui cupiditatem incessisse medium terrarum metiendi: itaq; eum dimisisse duas aquilas, paris celeritatis, (alij, quemadmodum Strabo scribit, coruos dixerunt) vnam ab ortu, alteram ab occasu, quæ Pythona concurrerint: in eiusq; rei argumentum aureas duas aquilas illic postea dicatas esse. Pausanias scribit, qui à Delphis appellatur vmbilicus, eum è lapide candido factum esse, & à Delphis medium terræ censeri. Ita veteres vmbilicum Delphos dicebant, & locum quendam Delphis. In vetere poëta, qui scripsit: O sancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines: Reprehendun-

tur leuiter à Varrone quidam, quòd vmbilicum dicerent ab vmbilico noſtro dictum, quòd is medius locus terrarum ſit, vt vmbilicus in nobis: quod vtrunq; ait Varro falſum eſſe, quòd neque is locus medius terrarum ſit, neq; noſter vmbilicus hominis medius: ſed Delphis in æde ad latus foraminis eſſe quiddam, vt theſauri ſpecie, quod Græci ὀμφαλὸν dixerunt, id eſt, vmbilicum, attamen vt verum ſit, quod Varro ait, vetuſtas credidit Delphos eſſe terrarum medium, vt ex ijs quæ poſui, apparet: ſed & ex Liuio ſic ſcribente: Verùm etiam Delphos quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum Galli ſpoliauerunt: & locum quendam præterea illic ὀμφαλὸν appellauit.

Epimenidem] qui parum tribuebat diuinationi, cùm tamen ipſe vates eſſet, verùm non de futuris vaticinabatur, ſed de præteritis. quæ obſcura & ignota alijs eſſent. Ariſtoteles: ἐκεῖ ᾧ φεὶ τὸ γεγονὸς, ὃ ὕστερον ἤδη καὶ τοῖς μάντεσιν, ὡς ἔφη Ἐπιμενίδης ὁ κρὴς. ἐκεῖνος γὰρ φεὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ φεὶ τῶν γεγονότων μὲν, ἀδήλων δὲ. Paulò pòſt in codice Græco lego, καὶ ᾧ πλείονα. rurſum, τὸν ὕστερον τὸ προάγοντος, non τὸν ἕτερον: præterea καὶ γέλοιον φάντος cenſeam legendum, non ἀφέντος. mox etiam, ἐμφύεσε, non ἐμφύεσαι. Hîc tamen non conſtitui codicem Græcum emendare, niſi

nisi paucis admodum locis: nam omnium emendatio maioris esset operis.

Nouaculam.] *Locum significat, vt reor, qui apud Homerum Iliad. κ'. extat,* νωῖ γὰρ δὴ πάντεσσιν ὁμῶς ξυρὸς ἵσταται ἀκμήν. *Locus proximus de fœnore extat lib. 3.* ὀδυσσείας, *quo ex poëtæ loco Plutarchus ita emendandus est,* ὅτι που χρεῖος ὀφείλεσθαί φησιν οὔτι νέον οὐδ' ὀλίγον πως, ὡς τὸ ὀφέλλεσθαι τὸ αὔξεσθαι δηλοῦντος.

Citam.] *Variè* θοὰν νύκτα *Grammatici exponunt, quidam quietam, quia membra deponunt somno animantia, à* τῶ, *quod est pono: alij velocem explicant, à* θέω, *curro, quòd nobis non sentientibus & dormientibus citò præterire videatur. Alij citam, acutam & fastigiatam per metalepsin interpretantur: quam sententiam hîc commemorat Plutarchus, quòd vmbra terræ, quæ nox est, in metam se colligat: sed & alio in loco idem scribit,* καὶ τ σκιᾶς αὐτῆς λεπτὸν ὂν τὸ ἄνω χῶρον, οὐδὲ ὅμηρον, ὥς φασιν, ἔλαθεν ἀλλὰ τὴν νύκτα θοὰν, ὀξύτητι σκιᾶς προσηγόρευσεν, *id est, & summum vmbræ eius tenue & angustum esse, ne Homerum quidem latuit, vt aiunt, sed noctem citam ob acumen vmbræ appellauit. Crates citam simpliciter accepit, quod vt Sol celerat, ita nox è regione properet. Locus Homeri est Iliad. κ'.*

Ἠωῒ δέ μ' ἰόντα θοὰν διὰ νύκτα μέλαιναν.

& Odyss. μ'.

Αλλ' αὔτως διὰ νύκτα δολὼ ἀλάλησδε ἄνωγας.

Congium vel heminam.] Ptolemæus, Proclus, Cleomedes scribunt, veteres magnitudinem solis esse mensos clepsydris, obseruatis aquæ cyathis, qui fluxissent, dum se proferret super finitorem Sol, & qui fluxissent, dum circumacto orbe ad alterum ortum venisset. Ita enim cyathorum numero inito, & comparatione perspecta, eos collegisse quota esset Sol orbis sui pars: hoc tamen genus mensuræ non probat Ptolemæus.

Laterculum.] Nomen habet hoc instrumentum à parui lateris figura, quæ quadrata est, procerior tamen, cuius formæ quadrantes ad horarum inuestigationem inumbrantur à Mathematicis. In eo laterculo linea quædam, vt ex Vitruuio cognosci potest, planities dicebatur, in quam incidebat æquinoctialis vmbra, index eleuationis cardinis Septentrionalis. Nam cùm ex ea vmbra declinatio æquinoctialis intelligatur, etiam eleuatio Septentrionis eadem opera cognoscitur, cùm radio æquinoctiali ad rectos angulos respondeat axis mundi. Ptolemæus laterculo explorat declinationes Solis brumam versus & solstitium lib. primo magnæ constructionis. Laterculum etiam Plautus pro panificio quodam quadrato operis dulciarij posuit à forma. Eius verba sunt: Nil nisi laterculos,

Sesa-

Seſamum, papauerem q3, triticũ, et frictas nuces.

Syenæ.] *Plinius: Simili modo tradunt in Syene oppido, quod eſt ſupra Alexandriam quinque millibus ſtadiorum, ſolſtitij die medio nullam vmbram iaci: puteumq3 eius experimenti gratiâ factum, totum illuminari, ex quo apparere tum Solem illi loco ſupra verticem eſſe. Idem & à Strabone refertur lib. decimo ſeptimo. Sed & illud Maronianum:*

Tres pateat celi ſpatium non amplius vlnas,

quidam de eo puteo expoſuêre. γνώμονα *dixi Solis vmbilicum, Plinium ſecutus, qui ita ſcribit: Solis itaq3 vmbilici (quem gnomonem appellant) vmbra, & cetera.*

Ignis colitur.] *In Prytaneis, quæ erant, vt interpretatur Liuius, vrbium penetralia, ignis perpetuus & inextinctus erat. Suidas* πρυτανεῖον πυρὸς ταμεῖον, ἔνθα ἐν ἀσβέστου πῦρ, καὶ ἤυχοντο.

De oraculo potius.] *Ammonis oraculum erat olim, vt Mella ſcribit, fidei inclytæ, vbi reſponſa oratione non dabantur, vt Delphis, quemadmodum ſcribit Strabo, ſed nutu & ſignis: qui & oracula minore in dignatione fuiſſe ex eo dicit, quòd Romani, qui rerum potiebantur, alia diuinationis genera colerent ex auibus, extis, libris Sibyllinis.*

Quàm Lebadiæ.] *Græcè legendum eſt,*

ἢ ἐν Λεβαδίᾳ ἡ Βοιωτία, *in Eusebio legitur*, ἢ περὶ λεβαδίαν. *erat autem Lebadiæ Trophonij oraculum.*

Atq; vtriusq; finem.] *Hîc miserè depravata sunt verba Græca, vt intelligi nequeant: voluisse tamen Plutarchum dicere existimo, oraculum barbaris barbara voce editum fuisse, ita vt ab antistibus & flaminibus non intelligeretur, qui barbarè nesciebant. Id quod hîc Plutarchus de Amphiarai oraculo refert, Pausanias narrat de oraculo Apollinis Ptoi: eius verba asscribam:* μαντεῖον δὲ αὐτόθεν ἀψευδές. καί ποτε ἄνδρα εὐρωπέα, ὄνομα δὲ οἱ ἦν μῶν, τοῦτον ἀποσταλέντα ὑπὸ μαρδονίου τὸν μῶν ἐπέρεσθαι τῇ φωνῇ τῇ σφετέρᾳ, καὶ οἱ χρῆσαι τὸν θεὸν, οὐχ ἑλληνίσαντα οὐδ' αὐτὸν, διαλέκτῳ τῇ βαρβαρικῇ, *id est, oraculum erat illic minimè mendax, atq; aliquando hominem Europeum nomine Mun, à Mardonio missum, oraculum consuluisse sua voce, eiq; Deum respondisse, ne ipsum quidem Græcè loquentem, sermone barbarico. Proinde legendum in Plutarcho puto,* ἀπεπειράθημεν, ὡς ἔοικεν ἀμφοτέρων, ὧν ὁ μὲν τοῦ μαντείου προφήτης φωνῇ αἰολίδι χρώμενος, ὁ δὲ πρὸς τοὺς τῆδε βαρβάρους χρησμόν. *sed & paulò pòst lego* ὁσίων παρόντων ἐκεῖνον. *cùm præsertim scribat in huius libri calce Plutarchus,* καὶ τὸν προφήτην Νίκανδρον, καὶ τοὺς παρόντας τῆδε ὁσίων: *& in Hellenicis scribat quinque*

ὁσίους

ὁσίους *fuisse Delphis perpetuos toto vitæ tempore, qui in rebus diuinis antistitem adiuuabant.*

Seculum.] *Seculo nonnulli, vt Artemidorus ait, septem tribuerunt annos: Zeno, vt ait Censorinus,* XXX: *Heraclitus, si Censorino credimus,* XXV. *annos. nam Plutarchus Heraclitum dicit* XXX. *annos dedisse seculo: alij centum octo, vt Plutarchus hîc scribit: quod autem Plutarchus ipse dicit, nouum est & inauditum, seculo annum significari.* γενεὰ *autem dicitur, quia orbis ætatis est triginta annorum spacium, vt Censorinus scribit. Orbis autem ætatis est, dum natura humana ad sementem reuertitur.*

Ex vnitate.] *Id est, ex vno, duobus, tribus, quatuor, nouem, octo, vigintiseptem.*

Deflagrationem.] *Stoici censent mundum longinquis temporib. modò eluuione perire, modò deflagratione, postea renouari: quam opinionem etiam nonnulli in Hesiodi & Orphei poëmatis & Heraclíti libris nimis ingeniosa interpretatione reperire conabantur, & eam sententiam illis auctoribus tribuebant, de qua nihil vnquã fortasse cogitarant. Locus proximus valde corruptus est, è quo sensum, quem potui, erui: puto tamen legendũ in eo esse pro* ὅπῃ τοῦ, ὅπῃ ἐνιαυτοῦ: *& mox,* ὁ δὲ ἐνιαυτὸς *&* περιέχων.

Olympicam tellurem.] *Plutarchus in*

libro qui inscribitur περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης, Lunam terram esse disserit contra Peripateticos Stoicos, vbi ne astrum quidem esse contendit. Illic etiam Olympicam terram vocat his verbis, πολλοὶ δέρμα ἄνθρωποι τῆν σελήνην γῆν οὖσαν ὀλυμπίαν, ἄφυχον ἡγεῖδ σῶμα, καὶ ἄνοον, καὶ ἄμοιρον, ὧν ἀπάρχεδ θεοῖς προσήκει. habitari etiam, vt Cicero ait, Xenophanes in Luna putauit, eamq; terram esse multarum vrbium & montium: quod & Plutarchus scribit in eo lib. Ceterum in Plutarcho pro μικρὸν δὲ σῶμα καὶ μίμημα δαιμόνιον, legendum censeam, μικτὸν δὲ σῶμα καὶ μίμημα δαιμόνων, si quis μικρὸν defendit, exiguum interpretetur.

Cum capitis iactatione.] Codex Graecus ex septimo Symposiacon libro est emendandus, vbi integrior scriptura extat verborum Pindari, μανίαι τ' ἀλαλαί τ' ὀρινόμεναι. Libro tamen primo Sympos. legitur, vt hîc, ἄλλαι τε, pro ἀλαλαί τ'. mox pro οὔτε μάχην ἀνέχονται, lego οὔτε μάτην ἀνέχονται. sed & pro καὶ ἐχόμενοι καὶ ἐλάποντες, ex Eusebio emendandum est, καὶ καταχόμενοι καὶ σφάπτοντες.

Palma alter.] Nam ferunt Latonam prope oleam & palmam peperisse: Catullus:

Quam mater prope Deliam deposiuit oliuam.

Homerus ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε. Tegyris autem

autem prope riuos duos ita vocatos, eam peperisse quidam censebant. Hîc ex vetere libro in Plutarcho legendum est, δάτιζον δ' ἐλαίαν καλεῖσθαι.

Conciliabulum.] *Habebant enim multi populi suos Delphis thesauros. Illic quoq; locus quidam conciliabulũ dicebatur. Sic verti* λέσχιον. *eius loci sic meminit Pausanias,* ἔστιν οἴκημα γραφὰς ἔχον τοῦ Πολυγνώτου, ἀναθήματα μὲν Κνιδίων. καλεῖται δὲ ὑπὸ Δελφῶν Λέσχη, ὅτι ἐνταῦθα συνιέντες τὸ ἀρχαῖον, τά τε ἀπουδαιότερα διελέγοντο, καὶ ὁπόσα μυθώδη, *id est, domus est picturas habens quasdam Polygnoti, à Cnidijs dicatas: vocatur autem à Delphis Lesche, propterea quòd eò olim conuenientes, & seria & fabulas narrabant.*

Nec iterum Hercules.] *Narrabant Delphi, vt Pausanias scribit, Xenocleam Pythiam Herculi Amphitryonis filio oraculum consulenti, respondere noluisse propter Iphiti cædem, ac eum cortinam continuò rapuisse, & extra templum tulisse: Pythiam, id cùm videret, Herculi respondisse, eumq; cortinam reposuisse. Poëtæ etiam Herculem cum Apolline de oraculo Delphico pugnasse canunt.*

Desine Deum irritare.] *Apollinem intelligit, quem quidam Solem esse censent, alij Solis patrem & dominum, qui sub oculos non cadat.*

Pythicas pactus.] *Hanc disputationem fingit habitam Pythiorum tempore Plutarchus: eo autem tempore, etiamsi bellum esset inter Græcos, vt illius celebritatis & sacri participes essent, inducia erant.*

A Dracone fœmina.] *Quam Græci* poëtæ δελφώλιν *appellauêre: etsi etiam nonnulli masculino genere.*

Eurycleas.] *Eurycles, inquit Aristophanis interpres, ventriloquus fuit Athenis, qui vera hariolari censebatur, quòd genium haberet intra viscera. Ab eo harioli* ἐγγαστρῖται *&* εὐρυκλῖται *vocabantur. Suidas, Eurycles, omnis ventriloquus, inquit, vocatur: ab Eurycle, qui talis hariolus fuit. Aristophanes mentionem eius his versibus facit:*

(νοιαν,
Μιμησάμφος τὴν εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διὰ-
ὲις ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέ-
αδς.

Nec verò tantùm homines sic vocabantur, sed etiam genij, qui ventres hominum subibant, vt in hoc Plutarchi loco. Mox nescio quid tale deesse integritati sententiæ in codice Græco videtur, ὁ γὰρ θεὸν ἐγκαταμιγνύς, *sed & paulò ante pro* φασὶ *censui melius legi* φημί. *quòd si quis illud alterum probat, dicunt, interpretetur.*

Postremò homines.] *Plus est aliquanto in Eusebio, quàm in codice Græco Plutarchi: additur enim* ἐξ ὧν ἔοικε ποιεῖν τὴν μεταβολὴν,

τ μὲν

τῶν μὲν χρυσοῦ γένους, εἰς δαίμονας πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς. τῶν δ' ἡμιθέων, & cetera. quæ quidem interpretationi meæ expressa Latinè intexui. Paulò post autem pro ἀναλυομένοις τοῖς σώμασι, videnum ἐνδυομένοις melius legatur.

Terna virescentum.] *Versus Hesiodi latinè sic redditi sunt:*

Ter binos deciesq; nouem superexit in annos
Iusta senescentum quos implet vita virorum:
Hoc nouies superat viuendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis secula ceruus.
Alipedem ceruum ter vincit coruus: at illum
Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales,
Quam vos perpetuo decies præuertitis æuo
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.

Horum autem versuum interpres, quem Virgilium nonnulli, alij Ausonium fuisse dicunt, in Hesiodo non ἡδώντων sed γηρώντων legit.

Ad Tempe progressa.] *Plutarchus in Hellenicis, tres Enneëteridas dicit à Delphis celebratas fuisse, Septerium, Heroida, & Charilan. Septerium imitatio erat pugnæ Apollinis cum Dracone, & fugæ post pugnam ad Tempe. Nam Apollinem alij eò dicebant fugisse ad expiationem cædis, alij secutum esse Pythonem saucium & fugientem, ea via quæ sacra dicebatur.*

Alastoras.] *Plutarchus in Hellenicis,* ἀλά-

ἀλάστως, inquit, κέκληται ὁ ἄλησα καὶ πολλὸν χρόνον μνημονευθησόμενα δεδρακώς. ἀλιτήριος δὲ, ὃν ἀλεύασθαι καὶ φυλάξασθαι διὰ μοχθηρίαν καλῶς εἶχεν, id est, Qui non obliuiscenda, sed diu memoriæ hæsura patrauit, Alastor appellatus est: Aliterius autem, quem vitare & cauere ob improbitatem & scelus conuenit. Ac de hominibus illic accipit Plutarchus, hîc παλαμναῖοι & ἀλάστορες mali sunt genij, illi à nomine παλαιὸς, quod est vetus: hi ab ἄλησος, quod est inoblitus, appellati. Latini eos genios sæpe etiam appellant furias, laruas intemperias, lemures.

Empedoclis versibus.] *Versus quidem Empedoclis referuntur de Dæmonum pœnis, quos subscripsi:* (γαὶ

Πόντος ὃ χθονὸς οὖδας ἀπέπυσε, γαῖα δ' ἐς αὖ
Ηελίου ἀκάμαντος. ὁ δ' αἰθέρος ἔμβαλε δίναις.
Αλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, συγέουσι δὲ πάν-
Αἰθέριον μὲν γὰρ σφε μόρος πόντον δ' ὀπίσσω. (ἐτς.

Hunc Plutarchi locum citat Theodoritus in lib. de oraculis.

Ad eum Philippus.] *Ex Eusebio personam inserui. Itaq; Græcè legendum est,* πρὸς αὐτὸν ὁ φίλιππος, ἀλλὰ.

Democritus.] *Eadem Democriti verba Plutarchus in vita Aemylij, statim initio refert, quæ hîc asscribam:* Δημόκριτος μὲ γὰρ εὔχεσθαί φησι δεῖν, ὅπως εὐλόγχων εἰδώλων τυγχάνωμεν, καὶ

καὶ τὰ σύμφυλα, καὶ τὰ χρησὰ μᾶλλον ἡμῖν ἐκ τοῦ περιέχοντος, ἢ τὰ φαῦλα καὶ σκαιὰ συμφέρηται, *id est, Democritus enim optandum esse dicit, vt simulachra fausta nobis obtingant, & vt ex circumiecto aëre, secunda & felicia potius quàm dira & sinistra eueniant.*

Ad Palodes.] *Trapezuntius in Eusebio, si libri non sunt deprauati, vertit paludem: ego putem,* παλῶδες *verbum esse Doricum, & sic illis in locis locum appellatum â cœno & luto, vt & Paxæ & Paxi Doricè vocantur à* πήγνυμι, *quòd, vt reor, illic scopuli sint & cautes. Sed & quodam loco de quodam mari scribit Plutarchus hunc in modum,* βραδύπορον γὰρ ἔτι καὶ παλῶδες ὑπὸ πλήθους ξυμάτων τὸ πέλαγος, *quod etiam dicitur de mari ad ostium Acheloi.*

Propter Britanniam.] *Mella scribit Senam in Britannico mari esse Osismicis aduersam litoribus, Gallici numinis oraculo insignem, cuius antistites perpetua virginitate sanctas, numero nouem esse tradi, quas Galli Senas vocent. Sic in Pomponio lego, aut vt in scripto lib. Zenas, non vt vulgò Gallicenas. Ea insula vna ex ijs fortassis est, quas hîc memorat Plutarchus. Dionysius Afer in illis insulis à mulieribus sacra Baccho fieri scribit:*

Ἀγχὶ δ' νησιάδων ἕτερος πόρος, ἔνθα γυναῖκες
Ἀνδρῶν ἀντιπέρηθεν ἀγωνῶν ἀμνιτάων

Ορνι-

Ορνύμθαι, τελέουσι χτ νόμον ἱερὰ βάκχω. *Plutarchus in lib.* περὶ τῦ ἐμφανομθύου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης, *de insulis istis Britannicis multa disserit, & in earum vna Saturnum vinctum esse scribit his verbis*, ὧν ἐν μιᾷ τὸν Κρόνον οἱ βάρβαροι καθεῖρχθαι μυθολογοῦσιν ὑπὸ τῦ Διός. *dicit autem ex eo mare Cronium esse vocatum, & incolas sacros censeri, insulamq; eam esse egregia aëris temperie: Saturnum autem in antro profundo pumicis aurei dormientem teneri: esse enim ei somnum ab Ioue pro vinculo immissum: aues ambrosiam afferre, cuius odore totus locus flagret: Dæmonas famulos ei multos additos esse, à quibus obseruetur, à quibus ei ministretur & seruiatur.*

Stoicos.] *Stoicis in exustione Dij omnes præter Iouem moriuntur, & rerum vniuersitas in vnum Iouem, id est, ignem tota mutatur. Ita non solùm Dæmonas mortales esse Stoici censent, sed etiam Deos.*

Fabulam appellantes.] *Velleius Epicureus apud Ciceronem de natura Deorum: Audite, inquit, non futiles commentitiasq; sententias, non opificem ædificatoremq; mundi Platonis de Timæo Deum, nec anum fatidicam Stoicorum* πρόνοιαν, *quam latinè licet prouidentiam dicere.*

Vocem sanctissimam.] *Puto significari Dæmonem, id est, quidni Dæmonas esse dicamus?*

mus? Itaq; hîc legendum Græcè censeo, οὐδὲν ὠφελεῖται, *non* πολλὰ.

Non ad permansionem.] *Eam esse puto sententiam Plutarchi quam exposui, vt codex Græcus castigandus sit in hunc modum* ἐπὶ ἀδεῶς λέγομεν, οὐ πρὸς. *mox etiam castigo* ἐπεὶ καὶ τῆς ζώων. *Nam malè est & vitiosè, vt reor, in omnibus,* θείων.

Temperatus crater.] *Post conuiuium solebant Græci craterem in medio conuiuarum ponere, à qua consuetudine illud Plutarchus in Symposio scripsit,* ἀλλ' αἱ μοῦσαι καθάπερ κρατῆρα νηφάλιον ἐν μέσῳ προθέμεναι τὸν λόγον: *& à Marone canitur:*

Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

etsi aliter locus is à Seruio exponitur. Tum enim libatio fiebat remotis mensis, & inuitatio.

Pro peregrina pecunia.] *Hos sermones non multò pluris quàm pecuniam peregrinam, quæ non est tanti, quanti vernacula, sæpeq; improbatur, fecerit, cùm rationibus nitantur parùm firmis, multaq; in diuersum occurrant.*

Herbæ fructum.] *Epimenides cibũ quendam medicatum sibi parabat, cuius exiguo momento se sustinebat, vt Plutarchus in Symposio scribit, cuius verba sunt,* ἃς' οὗ, ἔφη, ἡ τὸν ἑταῖρον

ἑταῖρον ὑμῶν, Σόλωνος ὃ ξένον ὀπιμηνίδιον, νόμος τὶς ἀπέχεσθαι τῆς ἄλλων σιτίων κελεύει, τὸ δὲ ἀλίμου δυνάμεως, ᾧ ἡδονῇ αὐτὸς σωτίθησι, μικρὸν εἰς τὸ σῶμα λαμβάνον τὰ δι' ἡμέρας ἄνάγκαιον καὶ ἄδειπνον, *id est, An igitur, inquit, Epimenidem sodalem vestrum, Solonis hospitem lex aliqua omnibus alijs abstinere cibis cogit, verùm materiæ alimæ, id est, famem arcentis, quod scitamentum ipse componit, momento in os indito impransum & incœnatum diem totum durare? Eius rei ita meminit in lib.* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *Porphyrius,* ὡς εἴθε τῷ μυθευομένῳ ἄλιμον καὶ ἄδιψον εὔπορον ᾧ κεκτῆσθαι, *id est, quod vtinam alimon illam & adipson, de qua fabulantur, liceret comparare.*

A Themide custodiebatur.] *Ante Apollinem Themis oraculum Delphicum tenuisse dicitur. Proinde Ouidius scribit eam oraculo præfuisse diluuij tempore:*

Fatidicamq; Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Aeschylus in Eumenidibus primam omnium terram oraculum Delphicum tenuisse dicit: deinde Themin, postea Phœben: postremò Phœbum. Eius verba sunt:

Πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν
Τὴν πρωτόμαντιν γαῖαν. ἐκ δὲ τ' Θέμιν,
Ἢ δεύτερα μητρὸς δευτέρα τὸ δ' ἔζετο
Μαντεῖον, ὡς λόγος τις. ἐν δὲ πᾷ τρίτῳ

Λάχει

Λάχει θελούσης οὐδὲ φρὸς βίαν τινὸς
Τιτανὶς ἄλλη πᾶς χθονὸς καθέζετο
Φοίβη, δίδωσι δ' ἣ γενέθλιον δόσιν
Φοίβῳ.

Arsalo, Dryo.] *In Theodorito scribitur Arsalus, Aryus, Tosobis. In Eusebio, Arsalus, Arytus, Tosobis. In quibusdam etiam exemplaribus scribit interpres Theodoriti, scribi pro Aryo, Bryum.*

Centum octoginta tres.] *Procli verba è commentario in Timæum apponam, quæ ad hunc locum valde pertinent:* ἤδη γάρ τινος ἤκουσα δόξης βαρβαρικῆς, ἣν Πλούταρχος ἱστόρησεν ὁ Χαιρωνεὺς, ἐν ἑνὶ τριγώνῳ ἰσοπλεύρῳ, κέντρῳ μὲν τὸ μέσον εἶδος τὸ νοητὸν, καὶ καθ' ἑκάστην δὲ πλευρὰν ὡσεὶ ἑκεῖνο κόσμους ἑξήκοντα, καὶ καθ' ἑκάστην γωνίαν ἕνα, τοιοῦτον οἷος ὁ ἡμᾶς περιέχων. ὥστε εἶναι τρεῖς ἡγεμόνας, καὶ τρὶς ἑξήκοντα ἄλλους ὑπ' αὐτούς. ἡγεμονικωτέρους γὰρ εἶναι τοὺς γωνιακοὺς τῶν πλευρικῶν. *& cetera. id est: Iam etiam quandam audiui barbaricam sententiam, quam Plutarchus Chæronensis memorauit, in vnius trianguli æquilateri medio esse, id quod intelligentia comprehenditur: circum autem id in singulis lateribus mundos sexaginta collocatos esse, & in singulis angulis singulos, tales eos, qualis hic qui nos circundat: ita vt tres duces sint, & ter sexaginta sub eis. angulares enim latera-*

libus ad ducendum accommodatiores esse.

Et campum veritatis vocari.] *Vt hîc regio falsi est & opinabilis (nihil enim hîc ferè certi est, paucaq; admodum certò exploratoq; scimus, sed vel plerunq; fallimur, vel opinamur) ita in eo mundo, qui ratione & intelligentia percipitur, in quo formæ & exemplaria rerum sunt, inest veri regio & sedes. Huius campi veritatis meminit in Phædro Plato his verbis:* οὗ δὴ ἕνεκεν ἡ πολλὴ σπουδὴ, τὸ ἀληθείας ἰδεῖν πεδίον οὗ ὄντιν. *id est, Cuius quidem caussa magnum studium est cognoscendi, vbinam veritatis campus sit. Quod etiam mox de tempore Plutarchus scribit, & de animis humanis, quàm proximè accedit ad Platonis sententiam.*

Opinionem euerterit.] κατέβαλε *puto græcè legendum potius, quàm* κατέλαβε: *quanquam hîc non institui codicem græcum emendare, qui infinitis scatet mendis. Dicit autem Platonem verbo nulla adiuncta ratione subuertisse opinionem illam de mundorum multitudine, cùm scripsit in Timæo, dictu verius esse, vnum mundum esse.*

Probitate perfecta.] *Non solùm animatum esse mundum dicit, verùm etiam omni virtute præditum, & vt Plato & Stoici censent, Deum.*

Ne si quid foris eius.] *Platonis est in Timæo*

Timæo sententia, vniuersam materiam in hoc mundo esse collocatam, ne qua pars extra excederet, quæ aliqua impulsione mundum labefactaret & frangeret, & ad morbum senectutemq; compelleret, quæ sententia non magnopere Plutarchum hîc mouet.

Ad incorporeum & indiffer.] Eadem ferè est contra Aristotelem disputatio in libro περὶ τ ἐμφανομψου προσώπου τῳ κύκλῳ τῆς σελήνης. Nam corpora inanima quomodo mouebuntur ad incorporeum, id est, ad medium, quod indiuiduum est, corporeq; caret? ac mirum est reliqua omnia supera vocari, centrum solum, quod indiuiduum est, imum: sic fiet, vt nulla pars terræ in imo sit, cum pars nulla indiuidua sit, sed terra suum ambibit locũ, non occupabit.

περὶ δυνατ῀ς.] Locus ex lib. 4. περὶ δυνατ῀ς à Plutarcho in lib. de repugnantijs Stoicis, cum Chrysippi reprehensione affertur, qui ita habet: ἀλλ' ἔν γε τῳ τετάρτῳ περὶ δυνατ῀ς μέσον τινὰ τόπον καὶ μέσιον χώραν ὑποθέμενος, ἐντοῦθά φησιν ἱδρῦσθ τ κόσμον. ἔστι δὲ ἡ λέξις αὕτη. διὸ καὶ ὅπ τ κόσμου ξητέον αὐτὸν φθαρτὸν εἶ, λόγου οἰόμενον δεῖσθ. οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον ἐμοὶ φαίνεται οὕτως ἔχειν, οἱονεὶ δὲ εἰς τὴν ὥσπερ ἀφθαρσίαν πολύ τι αὐτῳ συνεργεῖ, καὶ ἡ τ χώρας κατάληψις, οἷον διὰ τὸ ἐν μέσῳ εἶ.

Naturam ijs motibus.] Permansionem

mundi alijs in locis tribuit Chrysippus non medio vniuersitatis, sed motionibus illis, quibus corpora à medio mundi, aut ad medium mouentur. Plutarchus in libro quem modò citaui, ex libro Chrysippi de motu hoc affert, πιθανὸν πᾶσι τοῖς σώμασιν ἔξω πρώτως κατὰ φύσιν κίνησιν ἀπὸ τοῦ κόσμου μέσον. τῷ μὲν κόσμῳ, οὕτωσὶ κινουμένου πρὸς αὐτὸν, τοῖς δὲ μέρεσιν, ὡς ἂν μέρεσιν οὖσιν.

Ioues.] *Nam Deus, prouidentia, fatum, natura, fortuna, Stoicis eadem sunt, vt ex lectione auctorum intelligitur.*

Mundi conuersionibus.] *Exustionibus rerum summam censent Stoici interire, postea renouari. Ita fit, vt infinitis temporum curriculis infinitæ renascantur Lunæ, infiniti Soles, cùm infinitæ eueniant exustiones: sed & vt alij Dij infiniti sint, cùm omnes præter Iouem intereant in exustione.*

Tanquam applumbata.] *Plutarchus locum Platonis cuipiam videatur esse imitatus, qui in Timæo ita scribit:* ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀορἀτοις πυκνοῖς γόμφοις ξυωτήκοντες: *sed solent illiquefacto plumbo signa suæ basi affigi, quod respexit Plutarchus. Tale est illud Euripidis:*

Κάθησ' ἑδραία, καὶ γὰ εἰ πέρι σ' ἔχω
Τηκτὸς μολυβδὸς, ἐξαναστήσω σ' ἐγώ.

Stabilis sedeto: nanq; te excitauero,

Etiam

Etiam liquato vincta si plumbo hæreas.

Quo fit vt.] *Mundorum infinitas, quam Epicurei ponunt, est omnino à ratione aliena. Stoici mundum vnum ponunt, quem exustionib. perire & renouari, & instaurari postea dicunt.*

Hîc Ei consecratum sit.] Ei *in vestibulo templi Delphici consecratum erat, qua de re librum Plutarchus scripsit: eò quidam quintam litteram acceperunt. Nam quam litteram e, vocamus, prisci ει appellabant, alij es accipiunt, alij si.*

Quinq; corpora.] *Pyramidem intelligit, icosaëdrum, dodecaëdrum, cubum, octaëdrum: De quibus epigramma Græcum extat:*

Σώματα φέντε Πλάτωνος, ἃ Πυθαγόρης σοφὸς εὗρε.

Πυθαγόρης σοφὸς εὗρε, Πλάτων δ' ἀρίδηλ' ἐδίδαξεν.

εὐκλείδης δ' ὅπλοῖσι κλέος περικαλλὲς ἔτευξεν.

De ijs Euclides scribit in solidis.

Semitriangulum.] *Appellat semitriangulum, dimidium trianguli æquilateri: alij triangulum æquilaterum è sex scalenis rectangulis componunt. Cubi autem principium est Isosceles, cùm quadratum ex Isoscelibus quatuor fiat: sed & dodecaëdri principium est, & elementum, cum pentagonum ex Isoscelibus componatur, quod principium est dodecaëdri.*

Id quod est.] *Plato in Sophista quinq; ponit principia, Id quod est, Idem, & alterum, motum, & statum, quibus ex principijs argumentatur hoc loco quinq; mundos esse Plutarchus. Horum principiorum etiam meminit in libro* περὶ τ ἐν τιμαίῳ ψυχογονίας.

Specie continet.] *Veteres quidam Philosophi, in ijs Stoici potissimùm, existimauerunt aërem & spiritũ per totam rerum naturam peruadere, & penetrare, omniaq; in suo statu & specie continere, appellaruntq; συνεκτικὸν αἴτιον: ad quam sententiã hoc loco respexit Plutarchus.*

Aequabilem tributionem.] *Hæc Isonomia ab Epicuro inducta est, à qua argumentatur hîc Plutarchus. Eius sic meminit lib. 1. de natura Deorum Cicero: In qua, inquit, intelligi necesse est eam esse naturam, vt omnia omnibus, paria paribus respondeant. hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est, æquabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem: & si quæ interimunt, innumerabilia sunt, etiam quæ conseruent, infinita esse debere.*

Inanitate.] *Philosophi quidam, vt Aristoteles ait, materiam inane esse putauerunt, quo Plutarchum respexisse putem. Itaq; censeo τὸ κενὸν legendum esse: si cui probatur τὸ στενὸν, vt est in libris excusis, angustias vertat.*

περὶ τ

πεμπάσας.] *Idem à Plutarcho scribitur in libello de* ει, *quod Delphis consecratum erat, his verbis, cùm de quinario loquitur,* ἀφ' οὗ τὸ ἀριθμεῖν οἱ σοφοὶ πεμπάδα ὠνόμαζον. *quo quidem etiam in loco valde quinarium celebrat, & nuptias appellatum fuisse refert, ex coniunctione duorum & trium, qui primi numeri sunt, vt hîc etiam disserit, præsertim cùm par numerus fœminam referat, impar marem.*

Triangulum eorum qui.] *E tribus, quatuor, & quinq; , nobilissimus triangulus scalenus rectangulus constituitur. Nam in numeris Isosceles rectangulus constitui non potest: à quinario autem eum dicit effici, quia & latus maximum eius trianguli efficit, & quadratum, quod ex eo efficitur, tantundem valet, quantum duo quadrata à tribus & quatuor edita. His numeris ad deformationem emendatæ normæ est vsus Pythagoras huius trianguli inuentor, qui in libro de Repub. à Platone summopere laudatur, vt auctor est Proclus in Euclidem.*

Summarum, mediarum.] *Sic verti verba Musicorum Græca, quo res facilior esset: quæ tamen Latini pro suis retinent, ea sunt* τετράχορδον ὑπατῶν, μέσων, συνημμένων, διεζευγμένων, ὑπερβολαίων, *id est, tetrachordum summarum, mediarum, coniunctarum, disiunctarũ, superlatarum: in quibus chordarum nomen sub-*

audiendum est, vt cùm dicitur δὶς διὰ πασῶν, id est, bis per omnes chordas, non vt vulgò dicunt, bis per omnia. De his autem tetrachordis & alij, & Vitruuius consulendus est.

Ventilabris.] Multis in huius libri locis mihi diuinandum fuit, & augurium animi potius & coniectura, quàm scriptura & editio secuenda, ac è nonnullis locis impeditis & obscuris, vtcunq; potui, expedire & extricare me conatus sum: hîc planè deprehensus captusq; hæsissem, nisi Plato subuenisset, è cuius Timæo sic codicem Græcum reor emendandum: εἰκότι τὸ συμβαῖνον ἐνδείκνυται, τοῖς ὅτι πλὴν πλοχάνων καὶ ἀρχάνων τῆς περὶ πλὴν τὸ σίτα κάθαρσιν σειομένοις καὶ ἀναλικμωμένοις ὁμοίως. & paulò pòst: ἄλλο τε χώραν ἄλλα ἴσχειν πρὶν ὑπ' αὐτῆς: & mox: ὡς ἔχειν ἅπαν εἰκὸς, ἂν θεὸς ἀπῇ. hæc enim verba in Platone reperiuntur.

Quinq; primæ qualitates.] Qualitates pro corporibus & Stoici & Academici vsurparunt. Cicero in Academica ad Varronem: Sed quod ex vtroq;, id iam corpus & quasi qualitatem quandam nominabant. Iterum: Earum igitur qualitatum aliæ sunt principes, aliæ ex ijs ortæ. Sic hoc loco apud Plutarchum quinque qualitates sunt prima corpora, quatuor scilicet elementa, & celum.

Materiam eam Deus.] Plutarchus in libro

libro περὶ τ ἐν τιμαίῳ ψυχογονίας *docet materiam à Deo ex inordinata & incomta ordinatam & comtam fuisse, & ad moderationem quandam & temperationem esse reuocatam numeris & proportionibus: quod & hoc loco disserit.*

Et purgationem.] *Post hæc verba periodus, quæ in codicibus Græcis extat, à me prætermissa est, quod annotatio sit, quæ è margine in litteram irrepsit. Continet enim sententiam eorum, quæ hîc Plutarchus disserit, inesse in animis vim diuinandi, quæ obscuretur & imminuatur, cùm obducti crasso hoc corpore sunt.*

De Arna editum est.] *In codice Plutarchi, De Anna scriptum est: sed Arna scribi debet, vt reor, cùm Arna oppidum fuerit Thessaliæ, quod aliquando tenuerint Bœoti: sed & Arna oppidum etiam in Bœotia fuit.*

Siccus animus.] *Heracliti sententia est referente Galeno in libro, quod animi mores sequantur temperamentum corporis,* αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη, *id est, splendor siccus, animus prudentissimus, vt fortasse in Plutarcho hoc loco pro* αὐτὴ *legendum sit* αὐγὴ, *hunc in modum,* αὐγὴ γὰρ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη, *id est, Nam splendor siccus, animus est prudentissimus. quam lectionem secutus sum, etsi è recepta & excusa etiam elici aliqua sententia potest.*

Cinerem affingunt.] *E cinere hostiarum, quæ Ioui immolabantur, summa pars aræ Iouis Olympij construebatur, vt Pausanias scribit in Eliacis. Is autem cinis Alphei aqua glutinabatur, alia non poterat: proinde censebatur Alpheus Ioui Olympio amicissimus.*

Coretam.] *Idem ferè scribit Diodorus lib. 16. bibliothecæ, cùm illis in locis nondum ædificatis & habitatis specus esset, fortè fortuna capras, quæ eò accessissent, vt furore correptas, mirum in modum saltare cœpisse, & varias voces edidisse: cùm pastor ipse eò venisset admiratione rei captus, furibundas eum quoq; voces fudisse, & hariolatum esse: proindeq;, quòd halitus ille à terra manaret, initio terræ oraculum tributum fuisse.*

In flammam coniecta.] *Idem Strabo scribit,* ἐν δὲ τῇ καρύστῳ καὶ ἡ λίθος φύεται ἣ ξαινομένη καὶ ὑφαινομένη, ὥστε τὰ ὑφάσματα χειρόμακτρα γίνεσθαι, ἐμπαθέντα δ' εἰς φλόγα βάλλεσθαι, καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τῇ πλύσει τὸν ῥύπον ὁμοίως. *id est, Carysti lapis etiam nascitur, qui carminatur & texitur: quæ texuntur, mantilia sunt, quæ sordida in flammam conijciuntur, ac sordibus emaculantur non secus quàm lota.*

Quo ad diuinationem.] *Eadem est Quinti Ciceronis sententia lib. priore de diuinatione, his verbis: Potest autem vis illa terræ, quæ*

quæ mentem Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuisse vetustate, vt quosdam euanuisse & exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos & deflexos videmus. Iterum, Quo de genere Apollinis operta prolata sunt. Credo etiam anhelitus fuisse quosdam terrarum, quibus inflatæ mentes, oracula funderent.

Tellus coacta.] *Locus est apud Euripidem in Cyclope.*

Anaxagoram reprehendit.] *Reprehensio est in Phædone: nam cùm mentis designatione mundi descriptionem confectam esse dixisset Anaxagoras, in reddendis tamen postea rerum caussis nihil illa mente vtebatur. Verba sunt Platonis,* ὁρῶ τὸν ἄνδρα πρὸς μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινος αἰτίας ἐπαλλώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα. ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον, καὶ ἄλλα πολλὰ ἄτοπα.

Hypocrateridium.] *Sic emendandum puto codicem Plutarchi, in quo* ὑποκρητηρίδιον *legitur malè: locus est apud Herodotum lib. 1.* καὶ ὑποκρητηρίδιον σιδήρεον κολλητὸν, θέης ἄξιον διὰ πάντων τῶν ἐν Δελφοῖσι ἀναθημάτων Γλαύκου τοῦ Χίου ποίημα, ὃς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε. *Locus autem iste Plutarchi, Vallæ interpretationem refellit, qui* ὑποκρητηρίδιον *paruam crateram esse putauit, cùm sit fundus & basis crateræ. In ea autem basi lamina ferrea*

ferri laminæ agglutinata erat, sine vlla fibula & clauo, sed solo glutinis vinculo, vt Pausanias ait, tam mira arte, vt Glauci ars in prouerbium abierit, qui ferrum illud glutinarat.

Excidium.] In Gnidiorum conciliabulo, quod erat ad fanum Pythium, Polygnotus pinxerat excidium Troiæ, vt scribit Pausanias: cuius hîc Plutarchus meminit, quòd hæc disputatio eo in loco habita est.

Polygnoti gloria.] Puto Græcè scribendum πολυγνώτε, aut τεχνίτε, non, vt codices omnes habent, σιδήρου. Non omittam suprà multò ante, vbi de Dæmonum vita disseritur, cùm in Plutarcho μὴ μαρτύρων σοφῶν καὶ παλαιῶν legatur: quam lectionem secutus sum & interpretatus, in Theodorito tamen & Eusebio scribi σοφῶν, id est, doctorum: quod fortasse melius & verius est.

Physici.] Omnes ante Socratem philosophi, qui post priscos & fabulosos Theologos Græcorum fuerunt, vocabantur physici, quod omnis eorum oratio in inuestigatione & indagatione naturæ consumeretur.

Sacerdotes & qui.] Secutus sum codicem græcum, in quo ὅσοι scribitur: cùm tamen constet sacrificos quosdam fuisse Delphis, qui ὅσιοι dicerentur. Non deërit fortasse, qui ὅσιοι legendum putet.

Thra-

Thrasymede.] *Videor legisse hoc scriptum fuisse à Theopompo, quod Plutarchus de Thrasymede refert. Quod narrat de atlantibus Herodotus, & ex Herodoto Mella & Plinius, quos aiunt nunquam somniare, vt opinor, Plutarchus hîc mememorasset, nisi fabulosum & falsum existimasset.*

Resipiscentem.] *In quodam libro manuscripto legi* ἄνφρονα, *id est, amentem. lectionem tamen vsitatam sequi malim.*

Celi templa.] *Hæc sententia Stoicorum est, qui mundum immutari & renouari existimant. Folio autem vndecimo, quod omittendum non fuit, vbi legitur, Vtroque enim modo quadraginta efficiuntur, deest aliquid, cùm modus vnus scriptus extet, alter desideretur.*

DE FIGVRA EI, CONSECRATA DELPHIS.

INoidi nuper, mi Serapion, in versiculos quosdam non malè factos, quos commemorasse Euripidem ad Archelaum putat Dicæarchus.

Donare nolo pauper ipsi diuiti,
Ne videar esse stolidus, aut dando petere.

Neq; enim gratum facit, qui opulentis è re tenui modicum tribuit, & cum non credatur frustra tribuere, malitiæ & illiberalis leuitatis existimationem accipit. Nunquid verò, quò sunt inferiora liberalitate & pulcritudine dona pecuniaria, ijs quæ ab oratione & sapientia manant, eò honestius est & donare hæc, & ab accipientibus similia reposcere? Ego itaq; & ad te & te ministro, mittens amicis istic disputationum quarundam pythicarum tanquam primitias, confiteor expectare me à vobis cùm copiosiores tum meliores, vt qui & in vrbe ampla versemini, & ocio magis abundetis colloquiorum in varia librorum multitudine. Sanè noster Apollo dubitationibus in hac vita mederi, & dissoluere eas videtur oraculorum responsis, cum hæc petuntur, Quæ autem ad disputationes pertinent, eas reijcere, proponereq; ei, qui natura amator sit sa-

sit sapientiæ, inserendo appetitum animi deductricem ad veritatem. Id quod cùm ex alijs multis patet, tum consecratione figuræ Ει, credibile enim certè est, non fortuitò, neq; veluti sortitione, ex omnibus litteris hanc solam primas apud hunc Deum obtinuisse, consecutamq; esse dedicati muneris sacri, & spectatæ rei locum. Sed Philosophiæ Dei istius primùm deditos sic admisisse eam, vt qui vel vim ipsius perspexissent peculiarem atq; eximiam, vel nota vterentur significante aliud quippiam studio diligentiæ dignum. Atque ego aliàs sæpius propositam huius disputationis scholam declinans, & sensim præteriens, nuper adeo à filijs meis deprehensus sum, in ambitioso de ea sermone quem haberem cum hospitibus quibusdam, qui cùm statim Delphis essent discessuri, non deceret præterire ipsos, neque refragari cupiditati omnino audire aliquid desiderantum. Atq; ita cum assedissem apud templum, quædam ipse quærendo disserere, de quibusdam illos interrogare cœpi, ea & loco & ipsis disputationibus subijcientibus, quæ olim cùm Nero ibi aliquando versaretur, ex Ammonio & alijs quibusdam audieramus ista persequentibus, cùm eadem pariter quæstio incidisset. Quod quidem iste Deus non minus sapientiæ amator quàm vates esset, videbatur cunctis Ammonius ad id ipsum rectè singula nomina accommodare, &

docere:

docere: Esse Pythium hunc incipientibus discere atq; sciscitari. Delium autem & Phanæum, ijs, quibus iam veritatis aliquid manifestum sit & apparet. Ismenium verò, scientiam tenentibus, & Leschenorium, qui cum efficacitate fruuntur disserendi philosophandiq; mutua excercitatione. Quod verò ad studiũ sapientiæ pertineret Quærere, admirari, dubitare, non immeritò dixit ille plæraq; de Dijs ambagib. esse abscondita, & requirere explicantem rationem, & doctrinam afferentem caussas. Vt de igne illo immortali, quod ibi ex lignis sola abies & laurus adoleatur: Et quòd duarum tantùm Parcarum simulacra consecrata sint, cùm tres esse vbiq; statuantur, & nulli mulieri aditum patere ad oraculum, & cortinæ opus, Et quæcunq; alia huiusmodi, subiecta non prorsus expertibus rationis aut dementibus, veluti inescando alliciunt ac inuitant considerationem & auditionem & disputationem de ipsis. Vide verò & proscriptæ istæ sententiæ: Nosce te, & ne quid nimis, quam sapientiæ studio dignas quæstiones commouerunt, & quanta disputationum copia ab vnoquoq; tanquam semine enata est? Quorum nullo minus feracem esse præsentis quæstionis disputationẽ arbitror. Quæ cum Ammonius dixisset, Lamprias frater, Atqui, inquit, ea oratio, quam nos audiuimus, simplex est quædam & admodum breuis. Ferunt

enim sapientes illos, à quibusdam autem Sophistas dictos, fuisse numero ipsos quinq3: Chilonem, Thalem, Solonem, Biantem, Pittacum. Postquam autem Cleobulus tyrannus Lindiorum, & mox Periander Corinthius, neq3 virtutis neque sapientiæ participes, & potentia tamen & per amicos atque gratia, existimationem illam violentam consecuti, inseruerunt sese nomini sapientum istorum, & sententias quasdam atque dicta emiserunt perq3 Græciam dispersérunt, simili quodam, quo illi sua pronunciarant, modo. Tum eos molestè hoc ferentes, non voluisse quidem coarguere ostentationem istam gloriosam, neq3 apertè de existimatione inimicitias suscipere & dimicare cum valde potentibus hominibus, sed ibi congressos seorsum, & re inter se disputata, ita ex litteris Græcis consecrasse eam quæ quinta ordine est, quinarij numeri nota, testati de sese ad Deum: Quod essent ipsi numero quinque, & septimum atque sextum abdicantes atque repudiantes, tanquam nihil ad se pertinentes. Hæc autem sic dici vt non abhorreant à vero, scire poterit, qui audierit in templo vnam auream figuram EI, perhiberi Liuiæ esse Cæsaris coniugis, æneam verò Athenienſium, primam autem atq3 antiquissimam, materia lignea, nunc etiam sapientum appellant, non vnius, sed communiter dedicatam ab vniuersis. Ammonius

monius quidem ad hæc placidè arrisit, suspicatus sua quadam atque propria sententia vsum Lampriam esse, & confinxisse historiam quasi auditam ab alijs, quo minus ipse ratione reddenda teneretur. Ibi alter quispiam ex præsentibus, similia ista esse dixit ijs, quæ paulò ante hospes quidam Chaldæus esset nugatus: Quod septem sint litteræ, quæ propriam vocem edant, septem item sidera, quæ motu perfecto et libero moueantur. Esse autem serie ab initio E I inter vocales secundam, & à Luna errantium siderum Solem. Cunctos autem Græcos statuere, eundem esse Solem & Apollinem. Verùm ista, inquit, prorsus ex tabella sunt & via trita. Lamprias verò non sensit, vt videtur, se calculos sacræ lineæ produxisse disputationis suæ gratia. Nam quæ ille memorauerat, ea nemo Delphorum agnoscebat, proferebant autem in medium communem opinionem, & quæ ab enarratoribus demonstratur, volentes neq; faciem neq; sonum, sed litteræ tantummodo nomen habere coniecturæ cuiusdam notam. Est enim, quemadmodum existimant Delphi, & princeps orationis illius Nicander sacerdos dicebat, vehiculum & forma accessionis ad compellandum Deum, & habet locum in interrogationibus primum atq; ducem eorum, qui petunt responsa & de aliquo perconctantur: An victoria sint potituri? An coniuges fieri debeant?

An expediat nauigare? An colere agros? An peregrinari? Dialecticos verò ſapiens ipſe hic Deus, valere iubet, Nihil rei putantes hac particula EI. *(id eſt, ſi, aut An.) Et copulato cum hoc pronunciato confici, cunctas ipſe interrogationes huic ſubiectas cum intelligens tanquam res, tum admittens. Quia autem interrogatio propriè ad vatem pertinet, & vota nobis communia ſunt, vt erga Deum, ideo non minus litteram iſtam arbitrantur vim complecti optandi precandiq́, quàm ſciſcitandi.* EI, *id eſt,* O' *ſi, enim, vtinam, qui optant aut precantur, dicere conſueuêre. Et Archilochus:*

O ſi quidem
Mihi Neobules tangere liceat manum.

In hac etiam optantium voce εἴθε *poſteriorem ſyllabam ſuperuacuam eſſe aiunt, Quemadmodum in Sophronis verſu* ἔθω, *& ſimiliter in Homerico, cuius ſententia eſt:*

Sicce tuas frangam vires ego.

Hac verò figura EI. *ſenſum optandi ſatis planè indicari. Quæ cùm Nicander perſecutus fuiſſet, non eſt autem ignotus ſcilicet tibi Theon amicus noſter, quærit hic ex Ammonio, nunquid liberæ aliquid orationis concederetur Dialecticæ, tanta affectæ contumelia. Cumq́, Ammonius ad dicendum & ſuccurrendum eum cohortaretur: At enim eſſe Deum hunc maximè Dialecticum,*

multa

multa oracula declarant. Est enim scilicet eiusdem & efficere texendo, & explicare soluendo ambigua. Præterea, quemadmodum Plato, cùm oraculum iussisset Aram in Delo duplicari, id quod summæ in Geometria facultatis est opus, dixit non hoc imperare Græcis Deum illum, sed præcipere vt Geometriæ darent operam: Ita nimirum oracula ambigua reddens iste Deus, auget constituitq; Dialecticen, tanquam necessariam ijs, qui ipsum rectè sint intellecturi. In Dialectica autem maximam sanè vim habet ista copulatiua coniunctio, quippe quæ in Logicis eximium conformet pronunciatum. Nam cur non tale sit, id quod connexum vocatur? Siquidem rerum ipsarum, quod hæ extent, noticia est in beluis quoq;, consequentiæ verò cognitio atq; iudicium, soli homini natura tribuit. Nam quod sit dies & lux, sentiunt scilicet & lupi & canes & aues. Quod verò si dies sit, lux sit, nullum intelligit aliud animal præter hominem. Qui solus noticiam habet, præcedentis & desinentis, & liquidæ significationis & complexionis horum inter se, & respectus & differentiæ, ex quibus demonstrandi rationes præcipuum atq; potentissimum principium sumunt. Quoniam igitur Philosophia ipsa quidem in veritate versatur, veritatis autem lumen est demonstrandi ratio, & huius principium connexum illud, iure fuit hanc

continens atq; efficiens vis, à sapientibus viris consecrata maximo veritatis amatori Deo. Atq; est hic vates, vaticinatrix autem ars futura tum ex præsentibus tum præteritis colligit. Nullius enim rei vel origo caussarum expers est, vel prædictio, rationis. Verùm, quia omnia quæ oriuntur iam ortis, & oritura orientibus sequendo comitantur atq; cohærent, progressione quadam ab initio ad finem pertinente, qui caussas simul colligare & connectere inter se naturaliter scit, is nouit atq; prædicit:

Quæ iam sunt et erunt, & quæcunq; ante fuere.

Atq; Homerus præclarè primo loco posuit præsentia, & deinceps futura, atq; præterita. Nam connexi vi, complexio rationum ab eo ducitur quod extat. Vt, si hoc extat, hoc præcedit. Et rursum, si hoc extat, hoc fiet. Nam artificiosa ratiocinatione, sicut dictum est, noticia consequentiæ continetur. Sensus autem assumtionem rationi suppeditat. Vnde, quamuis dictu turpe sit, non deterrebor, quin perhibeam cortinam veritatis, esse hoc ipsum, id est, rationem, quæ posita desinentis ad præcedens consequentia, deinde assumto eo quod extat, ita infert demonstrando conclusionem. Quapropter si Pythius Musica delectatur & cygnorum vocibus, & sonis citharæ, Quid mirum Dialectices amore eum amplecti diligereq; istam orationis partem, quam maxi-

maximè & frequentissimè adhibere vtendo Philosophos videt. Hercules verò, qui nondum Prometheum à vinculis liberasset, neq; cum sophistis Chirone & Atlante adhuc disputasset, sed ipse tum iuuenis & perquam Bœotius, Dialecticen refutans atque deridens primùm litteram istam E I. postea per vim visus est cortinam auferre, & de arte cum Deo hoc dimicare. Nam procedente tempore, Hercules quoq; & vaticinationum peritissimus, & in disputando solertissimus videtur extitisse. Cum finem dicendi fecisset Theon, Eustrophus Athenienſis, nisi fallor, sic nos est allocutus: Viden' quàm cupidè defendat Dialecticen Theon, tantùm non cum exuuiarum leonis ornatu. Cum nondum exploratum habeat, an quiescere nos, qui simul res naturasq; & principia vniuersa diuinorum & humanorum numeris tribuimus, & omnino laudabilium & veneratione dignorum hunc ducem & dominum facimus, ac non potius Mathematicæ nostræ primitias offerre Deo velimus, sic existimantes: hanc litteram E I, per seſe quidem illam, neq; potestate, neq; forma, neq; verbo ipso à ceteris elementis differre, sed consecutam esse honoris prærogatiuam, vt notam magni numeri atq; principatu præditi, nimirum quinarij, quæ est πεμπάς, vnde numerare ipsum sapientes denominarunt, et πεμπάζειν dixêre. Atq; isto modo

ille nos est allocutus nequaquam ioco, sed quod ego tunc in Mathematica studia animi affectione singulari incumberem, ac fortasse omnibus modis honoraturus, vt qui in Academia fuisset, dictum istud: Ne quid nimis. Itaque ego dixi: Eustrophũ quæstionem istam præclarissima mentione numeri dissoluere. Cum enim, in imparem & parem distribuatur numerus, inquam, vniuersus, est vnum quidem vi sua particeps vtriusq3, & ideo additum, ex pari imparem & ex impari parem numerum efficit. Quoniam verò duo numeri paris, & tria imparis principium sunt, quinq3 verò, his commistis inter sese, nascuntur, non ab re honorem consecutus est numerus iste, & appellatus nomine significante coniugium. Ob numeri paris cum sexu muliebri, & imparis cum virili similitudinem. Nam si in partes æquales secantur numeri, par quidem vndique distans relinquit recipiendi aliquid quasi principium intra se & locum, in impari verò, cum idem hoc fit, semper medium quoddam superat in distributione fœcundum, itaq3 ipse altero fœcundior est, & dum miscetur semper superior, inferiorq3 nunquam. Nulla enim permistione ex ambobus par numerus exit, sed impar de cunctis. Præterea accedens ipse ad se, & in compositione magis ostendit differentiam vterque. Par enim nullus congressu suo cum pare, impa-

rem

rem exhibet, neque extra ſuam proprietatem excedit, præimbecillitate ipſa ab altero procreatus & imperfectus, impares autem permiſti paribus multos pares, copia fœcunditatis ſuæ efficiunt. Ceteras autem numerorum vires atque differentias in præſentia perſequi non fuerit tempeſtiuum. Vt igitur ſimilitudine primi maris & muliebris ſexus, exiſtentia quinq3, Hæc coniugij nomine Pythagorei appellarunt. Atq3 idem hic numerus, naturæ quoq3 alicubi nomen inuenit, quod multiplicatione ſui ipſius, rurſum in ſe deſinat. Quemadmodum enim natura rerum, vbi triticum in ſemine accepit, diffundit ſeſe, & multis medijs figuris formisq3 interiectis, quas gignit, & per quas ad finem deducit opus ſuum, poſt omnia triticum profert, reddens in fine totius principium: ita ceteris numeris multiplicatione ſui in alios deſinendo exeuntibus, ſolus quinarius & ſenarius toties ſumti, ſeipſos repræſentant atq3 conſeruant. Sexies enim ſex, triginta ſex, & quinquies quinque, viginti quinque fiunt. Ac rurſum ſenarius numerus facit hoc ſemel, & vno modo, ipſe ex ſeſe quadratus exiens. Quinario autem & hoc ipſum accidit de multiplicatione, & peculiare iſtud, quod denarium efficit numerum viciſſim ipſe accedens ad ſeſe. Idq3 deinceps ita fit perpetuò. Imitante hoc numero id principium, quo ordinatur vniuerſi-

tas rerum. Vt enim hæc conſeruando ſeſe, ex ſe illa quidem mundum, ex mundo verò ſeipſum abſoluendo efficit (Cum igne permutantur cuncta, inquit Heracletus, & ignis cum cunctis, quemadmodum auro pecuniæ, & pecuniis aurum) ſic congreſſus quinarij numeri ſecum, nihil quod vel imperfectum vel alienum ſit gignere ſua natura ſolet, ſed definitas habet mutationes. Aut ſe enim gignit ipſum, aut denarium, id eſt, vel quod proprium & familiare, vel quod perfectum eſt. Quod ſi quis roget, Quid iſta verò ad Apollinem? Dicemus nos, non illa quidem ad Apollinem tantùm, ſed ad Liberum quoq;, cui haud minus iuris in Delphos eſt quàm Apollini. Atque nos audimus Theologos partim verſibus, partim ſoluta oratione commemorantes ac canentes: Quod hic Deus ſua natura omnis interitus expers, fatali quadam ſententia atq; ratione, mutationes quaſdam ſui ipſius, vſurpans, Modò igne accendat cuncta aſſimulata naturaliter cunctis, Modò varius exiſtat tam formis, quàm effectionibus & facultatibus diuerſis, ſicut mundus nunc ſolet exiſtere. Nominatur autem nomine maximè noto. Sed ſapientiſſimè dum celare volunt vulgus, mutationem in ignem indicant Apollinis nomine ſolitudinis, Phœbi verò eius quod purum ſit & incontaminatum ſignificatione. Affectionem autem & mutationem con-

conuersionis in ventos, aquam, terram, sidera, itemq; stirpium animaliumq; ortus, totamq; numinis huius dispositionem mundi, ambagibus laceratorum & discerptorum membrorum inuoluunt, & ita eum Liberum & Zagreum, & Nocturnum, & Isodæten nominant, & ambages quasdam ac commenta peragunt conuenientia memoratis mutationibus, quasi ille intereat & euanescat, pertinentibus his ad excessus è vita & repetitos ortus. Decantant autem huic quidem Dithyrambica carmina, affectibus & mutationibus plena, & comprehendentia errorem & distractionem quandam. Nam Aeschylus Clamoriferum ait Dithyrambum sequi debere comitando Liberum communem: Illi verò Pæana, ordinatam atque sobriam Musam, & eum expertem senectæ semper ac iuuenem, alterum varia multiplicéq; specie & forma pingendo fingendoq; fabricantur. Atq; omnino illi ordinem industriamq; studij sinceri, huic mistam quandam tribuentes inæquabilitatem: Ludum simul iocumq; & vim atq; iniurias, studij industriam & vesaniam, inuocant Liberum Euion, mulierum instigatorem, furiosis florentem honoribus, haud malè quod peculiare est vtriusq; mutationis assumentes. Quia autem non æquale tempus in conuersionum mutationibus, sed alterius maior est, quam satietatem vocant, alterius, id

est,

est, egestatis minor, Id quod consentaneum est hîc seruantes reliquo in anno Pæanem ad sacrificia adhibent, incipiente autem hyeme, excitato Dithyrambo, & represso Pæane, tribus mensibus vicem illius Deum hunc inuocant. Existimantes, Quemadmodum tria sese habent ad vnum, sic temporis esse rationem dispositi mundi, ad conflagrationem. Verùm ista longius producta fuêre, quàm opportunitas non modica tulit. Perspicuum autem est, accommodari ad ipsum ab ijs, qui perhibent: Numerum quinarium modò se ipsum, ignis instar, modò denarium ex se efficere tanquam mundum. Nunquid verò perquam gratæ huic Deo Musicæ nihil cum hoc numero commune esse arbitramur? Nam maximum, vt semel dicam, opus Harmonices versatur in concentibus. Hos autem esse quinque, & non plures, coarguit ipsa ratio, eum qui ista venari velit absque ratione & solo sensu, in fidibus atque tibijs seu fistulis. Vniuersis illis enim origo est ex numeris, Estq; ratio eius concentus qui quaternarius dicitur, superans tria. Quinarij, sesqui, Duplex verò eius cuius nomen, Percunctas. At illius qui appellatur, Percunctas & quinarius, triplex ratio est, & eius qui Bispercunctas, quadruplex. Nam qui introducitur supra hos ab Harmonicis Percunctas & quaternarius, cum extra modos excedat, admittendus

non

non est, gratificante auditu sono rationis experti, & violanti rationem veluti legem. Atque vt omittam, positiones quinque Tetrachordorum, & quinque primos siue tonos seu modos seu harmonias nominare decet, vt intendendo & remittendo magis minusúe variantes, cetera sunt scilicet grauia atq; acuta: Nonne igitur, cùm sint multa ac potius infinita interualla, tantùm quinque in carminibus vsurpantur: Diesis, semitonium, tonus, trisemitonium & ditonum. Neq; alterum spacium vel minus vel maius in voce acuta aut graui desinens, carmina admittunt. Multis verò huiusmodi, inquam ego, præteritis, Platonem adducam, qui mundum vnum perhibet. Vt, si sint præter hunc alij, neque ipse solus, ad quinque illorum numerus perueniat, neque sint omnino plures. Quin etiam, vt sit hic mundus vnus & solitaria originis, quemadmodum Aristoteles quoq; putat, Etiam istum quodammodo ex quinque mundis compositum & concinnatum esse. Quorum vnus sit Terræ, alter aquæ, ignis tertius, quartus aëris, & quinto loco celum, alij lucem, alij æthera vocant, alij item quintam naturam. Cuius ex omnibus corporibus solius in orbem conuersio, naturæ est ipsius non necessitatis aut fortuiti casus. Et ideo pulcerrimas atq; perfectissimas in natura ex alijs figuras perspexit ille esse quinq;: Pyramida, cubum,

bum, octaëdrum, icosaëdrum & dodecaëdrum, & singula singulis congruè attribuit. Sunt verò qui sensuum quoq; facultates numero æquales, primis illis corporibus conciliant. Cernentes tactum habere densum & firmum quiddam atque terrenum, gustatum verò admittere qualitates eorum, quæ gustantur humore, aër certè ictus in auribus vox efficitur atq; sonus. Ex reliquis duobus, odor quidem, quem odoratus sortitus est, igneum quiddam est, quod vapor sit & nascatur calore. Sed æthere ac luce propter cognationem cùm splendor visus emineat, ita temperamentum ex ambobus affectionis similis & complexio fit. Neq; autem animal alium sensum, neq; mundus aliam naturam habet simplicem & non mistam. Atq; est ista, vt videtur, admirabilis distributio, & quinq; ad quinq; consortio. In his verò cùm aliquantulum cessando institissem, quid verò, inquam, ô Eustrophe, accidit nobis, qui pænè Homerum præteruimus? quasi non & ille in quinque portiones mundum distribuerit, qui interiectas medias tres, tribus Dijs assignauit, Duas autem extremas, Olympum & terram, quarum est hæc inferiorum terminus, illa superiorum, communes & indistributas reliquit. Sed reuocanda oratio est, vt ait Euripides. Nam prædicantes quaternarium numerum, non malè docent, quod huius ratione omnia corpora ortum

conse-

consecuta sint. Cùm enim sit solidum omne in longitudine & latitudine assumente profundum, & ante longitudinem extet punctum, ad vnius similitudinem collocatum, longitudo iam expers latitudinis vocatur linea, & est longitudo: Motus verò lineæ latitudine, mox planiciem efficit ternario numero. Atque profundo accedente, ita per quatuor ad soliditatem procedit incrementum. Quæ cùm ita sint, nemini non patet, quin hucusq; producta natura, vt corpus perficeret & conferret molem duplicem & densam, atque firmam, quaternarius deinde numerus reliquerit illam indigentem eius quod esset maximum. Nam quod exanimum est, id, vt planè dicam, orbum est & imperfectum, & anima non vtens ad nullam rem idoneum. Animam verò inferens motio aut affectio, mutatio quædam quam quinque efficiunt, ea naturæ perfectionem confert, & rationem habet tantò maioris principatus quaternario numero, quanta est præstantia honoris inter exanimum ac animal. Præterea maius robur istud habuit quinarij numeri consensio, vt non permitteret animatum genus in infinitum procedere, sed exhiberet viuentium species quinque vniuersorum. Sunt enim nimirum Dij, & Dæmones, & Heroës, & mox post hos homines, Extremum autem & quintum genus expers rationis ac ferinum. Præterea si animam ipsam

diuidas

diuidas naturaliter, primum erit in hac & maximè imbecillum, in quo nutriendi vis inest, secundum in quo sensuum, tertia pars cupiditatum, & ad hanc deinde iracundiæ. Ad vim autem rationis progressa anima & naturam ipsam perficit, & tanquam in fastigio quinta hac in parte acquiescit. Cùm sint autem tot & tantæ huius numeri vires, præclara scilicet est etiam origo. Non illa quam percurrimus modò compositionis ex duobus ac tribus, sed quam exhibet principium cum primo quadrato congressum. Principium etenim numeri vniuersi, vnum, quadratus autem numerus primus quaternarius est. Ex quibus tanquam ex forma ac materia, quæ finem habeat, existit quinarius numerus. Quod si iam rectè faciunt quidam vnum quoque quadratum, in quo vis suipsius insit, & quæ in seipsa desinat, Iam quinarius numerus de duobus quadratis prognatus, non deficietur generis supra modum excellente nobilitate. At quod maximum est, inquam, id vereor ne Platonem nostrum premat, quemadmodum aiebat hic Lunæ nomine Anaxagoram premi, qui sibi ascriberet vt propriam priscam prorsus opinionem de fulsionibus ipsius. Nunquid enim hæc dixit in Cratylo? Maximè, inquit Eustrophus. Quid autem simile sit non video. At enim nosti scilicet, quod in sophista ille quinq; demonstret principia potentissima:

ma: Id quod est, Idem, Diuersum, ad hæc quartum ac quintum, motum & statum. Alio autem diuisionis modo vtens in Philebo: Vnum ait esse infinitatem, alterum finem, quæ dum miscentur ita consistere omnem originem seu procreationem? Quartum autem genus facit caussam permistionis. Quintum verò suspicandum nobis reliquit, á quo permistis rursum discretio & distantia obuenit. Atq; coniectura mea est, has illorum quasi imagines commemorari: Eius quod est, id quod oritur. Motionis autem infinitum. Status, finem. Eiusdem, permiscens, diuersi discernens principium. Quod si inter hæc differentia est, & hoc tamen & illo pacto in quinq; procreationibus et differentijs ipsa versabuntur. His cognitis perspectisq;, vt aiunt, priorum quispiam ante Platonem, duas figuras EI consecrauit Deo. Quod indicium & quæ nota esset numeri vniuersorum. Qui nimirum & hoc intellexit: Summum bonum quinq; in generibus cerni & apparere, quorum primum esset modus. Secundum consensio. Tertium mens. Quartum in animo scientiæ atq; artes & opiniones veræ. Quintum, si qua voluptas pura sit & non confusa doloribus. Atq; hoc loco desinere Orphicum carmen subiecit:

Sexta ætate animo exemistis carminis vsum.

Post hæc, inquam, inter nos dicta, paululum

Nicandreis cantabo scientibus. Nam sexto die noui mensis, quando deducitis Pythiam in curiam quandam, prima vobis sors exit ad quinque inter seſe, iacientibus illis duo atq; tria. Ita est, inquit Nicander. Sed causſam alijs exponi nefas. Donec igitur, inquam, ego arridens, veritatis cognitionem nos Deo præbente consequamur sacris initiati, apponetur hoc quoq; ijs, quæ pro quinario dicuntur numero. Atq; istum laudationum Arithmeticarum Geometricarumq; oratio huius figuræ EI finem habuit. Ibi Ammonius, qui non futilem operam poneret in Mathematica Philosophia, delectatus ijs quæ dicta essent: Non par est, inquit, vt nimis accuratè contra ista dicant iuniores. Veruntamen vnusquisq; ex numeris occasionem multorum dederit, si laudationem instituere velimus. Nam ipsa sacra Apollini hebdomas (qui est septenarius numerus) diem prius absumtura sit, quàm oratione aliquis vires ipsius vniuersas persequatur. Proinde sapientes ne illos perhibebimus, belligerantes simul cum legibus communibus & longo tempore, de primis deiecisse hebdomada, consecraturos ita Deo huic quinarium numerum, vt propius ad ipsum pertinentem? Neque numerum igitur, neq; ordinis seriem, neq; coniunctionem, neq; aliquam adhuc reliquarum partium littera ista significare scit, vt puto, sed est ipsa absolutè perfe-

perfecta compellatio allocutioq; Dei huius, simul verbo eo pronunciantem ipsum adducens ad noticiam potentiæ illius. Ipse enim vnumquenq; nostrum accedentem quasi salutans affatur dicto hoc, Nosce te. Id quod non leuius est, quàm si diceret, Aue. At nos respondentes ei, inquimus EI, id est, es. Eius quod esse dicitur, tanquam veram & minimè mendacem solamq; soli conuenientem, compellationem retribuentes. Nos enim reuera cum eo quod est seu extat, nihil habemus commune, sed natura mortalis vniuersa, media inter ortum atque interitum interiecta, speciem opinionemq; exhibet obscuram atq; incertam sui ipsius. Quam si animi cogitationem intendens velis apprehendere, fit vt, quemadmodum vehemens aquæ compressio, inter vrgendum & contrahendum diffluens comprehensum omne perimit: ita ratio dum affectiones non consistunt, singularum euidentiam persequens, aberret tum in ortum, tum interitum vniuscuiusq;, cùm nequeat apprehendere quicquam quod permaneat, aut verè & re ipsa sit. In fluuium enim eundem idem ingredi iterum nequit, secundum Heracletum, neq; attingi iterum potest eadem mortalis natura habitu suo. Quæ acerrimæ celeritatis mutatione, dissipat rursumq; cogit, accedit & discedit. Itaq; origo ipsius nunquam in eo desinit, quod est. nunquam enim illa cessat,

neq; superatur, sed in perpetua mutatione ex semine efficit fœtum, deinde infantem, mox puerum & adolescentulum, deinceps iuuenem, postea virum, senem, decrepitum, priores quosque ortus atq; ætates succedentibus interimens. At nos vnam pertimescimus ridiculè mortem, qui iam tot mortes obiuimus & indies obimus. Non solùm enim, quemadmodum Heracletus aiebat, ignis mors est aëris origo, & aëris mors, origo aquæ, sed multò hoc planius in nobis ipsis licet perspicere. Interit enim certè constans ætas in senilem, sicut iam iuuenilis interierat in constantem illam, & puerilis in iuuenilem, inq; pueriem infantis. Atq; hesternus adeo immortuus est hodierno, & hodiernus immoritur crastino, neq; manet quisquam aut est vnus, sed existimus multi circum vnum quoddam visum, & commune exemplar, materia circumcurrente & labente. Nam si permanemus ijdem, quare lætamur diuersis? contraria amplectimur & auersamur? admiramur & culpamus? Alijs item vtimur affectionibus rationibusq; & sermonibus, non speciem, non formam, non animi sententiam eandem retinentes. Non enim par est, vt sine mutatione diuersæ sint affectiones, neq; is qui mutatur iam idem ipse est. Quod si idem ipse non est, non simul idem scilicet est illud quod mutatur, cùm ipse alius ex alio euadat, fallitur q; sensus, qui igno-

ignorantia eius quod est, putat esse illud quod apparet. Quid igitur reuera esse perhibebimus? Aeternum, et cuius nulla est origo, & nullus interitus, cui nullam mutationem tempus infert. Est enim tempus mobile & cum materia obuersans quæ est in motu, fluens semper, neq; tanquam vas cohercens ortum & interitum, in quo scilicet, quod posterius & prius & futurum dicitur atq; præteritum, ex seipso est confessio eius quod non est. Nam dicere id esse quod nondum extitit, quodúe iam esse desiit, affirmare quod extet, stolidum est atq; absurdum. Sanè quod maximè, intelligentia præterita, de tempore instans ac præsens & nunc, loquendo vsurpamus, id rursum ipsum ratio planè explicando euertit, nam eliditur in futurum atq; præteritum, quasi vna acie id, quod necessariò distat, contemplari volens. At illi accidit idem quod metienti. Quod natura ipsa mensura sit, in qua nihil est quod permaneat aut reuera sit seu extet, sed secundum hanc orientia & intereuntia cuncta cum tempore sunt confusa. Quam ob rem nefas quidem est, de vllo quod reuera est, dicere, quod fuerit aut futurum sit. Sunt enim istæ inclinationes & transitus & recessiones eius, cuius natura non fert, vt maneat in eo quod reuera est. De Deo autem sic loqui nos oportet, vt dicamus reuera eum esse, et non esse tempore, sed æuo im-

mobili & temporis experte & indeclinato, & in quo nihil prius nihilq; posterius sit, aut recentius, Qui vnus ipse vno hoc quod nunc vocatur, id quod semper est complet. Et huius est tantùm id quod verè est seu extat, non præteritum aut futurum, neque initij finisúe particeps. Hoc modo decet ipsum salutare venerando, & vt fiat nos assuefacere. Vel ita quoq; profectò, quemadmodum ex antiquis aliqui: Es vnum. Non enim numen diuinum multiplex est, sicut nostrum vnusquisq; congestum quiddam variè, & festiuitatis quadam specie mistum ex multis milibus differentiarum affectionibus implicitarum. Verùm id quod reuera est seu extat, id esse oportet vnum, sicut vnum, id quod reuera est. Discrepantia autem, seu eius quod reuera est differentia, exit in ortum eius quod reuera non est. Itaque bene & rectè factum est Dei nomen huius & primum & secundum & tertium. Est enim Apollo quasi non admittens multa, & recusans copiam. Ieius verò, tanquam vnus & solus: Phœbum autem scilicet antiqui, nominarunt, quicquid purum esset atque mundum. Quemadmodum nunc quoq; Thessali sacerdotes diebus atris, solos illos & seorsim foris versantes Phœbificari aiunt. Vnum autem sincerum & purum est. Aliquorum enim inter se permistio est contaminatio. Quemadmodum & Homerus alicubi

cubi Ebur, quod puniceum fieret tingendo, contaminari dicit. Et colores qui miſcentur, tinctores interire, & permiſtionem interitum nominant. Quocirca vnum vt ſit & expers confuſionis ſemper, congruit ei in quod interitus nunquam cadit, & quod purum eſt. Sanè qui Apollinem & Solem eundem eſſe autumant, eos amplecti & diligere æquum eſt, cùm ingenij bonitate, quod maximè colunt, omnium quæ norunt, atq; expetunt, id ad Dei iſtius notionem conferunt. Verùm nos, tanquam modò in pulcerrimo quaſi ſomnio de Deo iſto ſomniantes, excitemur, & cohortemur nos ad altiorem acceſſionem, vt ſpectemus quod ſupra nos eſt, & id quod res ipſa eſt. Colentes tamen etiam imaginem iſtam & venerantes, quæ ad eam pertinet, fœcunditatem, quoad fieri hoc conceditur, de expoſito ſenſibus id contemplantes, quod ſola mens intuetur, & de eo quod in motu eſt, illud quod permanet, quæ erunt quædam ſpecies inſignes, & dilucida quodammodo ſimulacra, & beneuolentiæ & beatitudinis illius. At exceſſus extra ſe ipſius, & mutationes ignem emittendo & rurſum contrahendo, vt aiunt, itemq; ibidem comprimendo intendendoq;, pertinentes ad mare etiam atq; ventos & animalia ipſa, animaliumq; ac ſtirpium affectiones mirificas atq; horribiles, hæc memorantibus, inquam, ne aures quidem pate-

faciendæ sunt. Aut erit ille puero poëtico futilior, qui quem hic in arena ludit ludum extruendo quod mox rursum dissipetur, eo in rerum ipse vniuersitate atq; mundo semper vtatur, effingens non extantem hunc, & ortum deinde quærtens. Cum contra quicquid in mundo ortum est, eius ille naturam, & quod est deuinciat, & contineat infirmitatem corporis ad interitum prolabentis. Atq; huic rationi vehementissimè repugnare ego arbitror hoc verbum, et testando EI. *id est,* Es dicere Deo, *vt cui nunquam eueniat, vt ipse extra se excedat, ac mutetur, id quod congruat alteri cuipiam* Deo, *vel potius* Dæmoni, *qui illa & faciat & perpetiatur, collocatus in natura participante interitum & ortum. Fitq; manifestum hoc de ipsis statim nominibus contrarijs ac dissonis. Ille enim appellatur* Apollo, *hic* Dis. *Ille* Delius, *hic* Orcus. *Ille* Phœbus, *(id est,* clarus*) hic* Tenebricosus. *Suntq; circum alterum* Musæ *atq;* Mnemosyne, *circum alterum obliuio ac silentum. Et est ille* Theorius atque Phanæus, *(quibus nominibus contemplatio & splendor indicatur,) hic verò noctis verendæ inertisq; somni* Dominus, *Et idem hominibus est,*

Duorum ex numero inuisissimus omni.

De illo verò non inuenustè Pindarus *inquit: Sententia de ipso pronunciata est, quod sit erga mortales placidissimus. Rectè igitur* Euripides,

Libatio-

Libationes cadauerum tabescentum dixit, & cantus quos auricomus Apollo non admittat. Et ante hunc Stesichorus: Valde immò maximè ludicra amat cantusq; Apollo. Et Orcus angores gemitusq; sortitus est. Sophoclem verò Musices instrumentũ vtriq; vtrunq; tribuere in his patet:

Haud nabla lamentis neq; accepta est lyra.

Etenim idem inquit serò & modò quidem non dubitauit vocem emittere commodiorem: priore autem tempore rem ad luctus abstraxit, & ea quæ in illis geri solent, neq; honorata admodum neq; læta. Mox omnia permista fuere omnibus. Atq; potissimùm qui diuina ac Dæmonia confuderunt, ij sese conturbarunt. At enim illud, nosse te, quodammodo huic figuræ E I. opponi, & consonare eidem videtur. Hæc enim vox horrore religionis quodam profertur ad Deum, qui sit perpetuò, illud verò mortali generi subijcit admonitionem suæ naturæ & infirmitatis propriæ.

IOACHIMVS CAMERARIVS LECTORI.

ADrianus Turnebus & ingenij solertia, & copia doctrinæ, & virtutis amplitudine præstans, quæ notari explicariq; debuêre in libello Plutarchi à se conuerso in sermonem latinum, ea curauit interpretationi suæ adiungenda. Nobis autem ab ipso quacunq; sanè de caussa, temerè enim factum esse non credo, præterita quædam quasi reuocare & explicare visum, quibus subieci meæ interpretationis quoq; quasdam rationes, & nonnullorum locorum in illa explanationem. Quæ omnia legentib. grata acceptaq; fore existimaui. Ac primùm de lucerna Ammoniorum, hoc scilicet dicitur: Habuisse sacerdotes templi illius (quod à multis veteribus celebratur, & ab Herodoto inprimis, qui in illo fuisse ait simulacrum κριοπρόσωπον Iouis, simile Thebæo. Vnde est, Corniger Iuppiter, & Tortis cornibus Ammon, Lucano) Sacerdotes igitur illos habuisse lucernam dicitur à Plutarcho, quam extingui non paterentur, vt esset iste ignis perpetuus, oleo illum nutriente. Atq; esse animaduersum, singulis consequentibus annis minus olei fuisse absumtum, declarante hoc mensura notata

multo-

multorum retrò annorum. Cogitari autem potest, annum certo numero dierum habuisse Ammonios definitũ, vt, verbi causſa CCC. LXV. quibus diebus confectis, quando minus olei perpetuus lucernæ ignis absumsit, breuius scilicet fuisse tempus, & quasi contractiora tempora diurna, cùm numerus dierum constaret, creditum est. Sanè quid fallere potuerit in hac obseruatione Ammonios, & quàm ea sit infirma atq; dubia, Plutarchus præclarè disseruit. Quod autem & dierum æqualitas mutetur, & spacia annorum modò crescant modò decrescant, & quibus de causſis id fiat, Astronomi demonstrare student, quod nunc inculcandum non est. Neq; necesse est contrahi celum etiam, quemadmodum dicitur à Plutarcho verbis Ammonij Philosophi. Etsi non desunt, qui idipsum accidere suspicentur, cùm putetur deprehendi λοξότης semper minor. Quod in Plutarcho autem legitur hoc loco, id tale est. Conuersiones Solis declinantis ab æquinoctiali circulo si interiores sint, id est, si puncta tropica ad æquinoctialem propius designentur, circuli ita æquabiles interiores, etiam maiores erunt. Quanto enim maior est diametri linea, quod duplum est τῆς ἐκ τοῦ κέντρου, tanto maior est circulus, cuius illa linea diametri est. Sit circulus, cuius diametri linea α β, & centrum μ, hæcq; esto linea diametri

circuli

circuli æquinoctialis. Solstitij autem circuli ἡ διάμετρος γ δ, & brumæ ε ζ. Et spacium α δ α ε, quibus respondent β γ β ζ, contrahantur ad η λ & θ κ, & coniungantur η θ & κ λ. Erunt quemadmodũ lineæ terminatæ his punctis longiores, sic circuli quoq; quorum eæ diametrorũ lineæ sunt maiores. Esse autẽ illas lineas longiores patet, quia propius ad lineam diametri in circulo proposito accedunt.



Cùm autem propius hoc modo absint partes aquilonares et australes, fit necessariò vt vernum tempus breuius atq; minus tepidum sit apud eos, quibus vertex boreus eminet. Autumnus etiam breuior ille quidem similiter, sed minus horridus frigore ita futurus est. Sed nihilo ob hæc tamen longior breuiorúe annus fuerit, cùm quamuis tropica signa seu puncta varientur, maximus tamen circulus is, quem peragrando celum Sol describit, remaneat. Quæ nos in præsentia notasse indicasseq; satis habuimus.

De

De Syena autem noti sunt Lucani versus:

Calida medius mihi cognitus axis
Aegypto, atq; vmbras nusquã flectente Syena.

Est enim secundum Ptolemæum Syenes ἑξαεμα partt. 23. scrupp. 50. Et ideo γνώμων solstitio ἄσκιος, ὄντος τοῦ ἡλίου κατὰ κορυφήν.

Quod autem ad mentionem laterculi attinet, ibi, vt dicitur in libello Plutarchi collocati, demonstrauit totam rationem illam luculenta designatione mathematicarum disciplinarum peritissimus, vir ingenij acrimonia & exquisita doctrina excellens, multisq; magnis virtutibus ornatus, Iohannes Homilius gener aliquando meus. Quem mortuum, & nos, & alij nobiscum in luctu monumentis scriptorum nostrorum qualibuscunq; celebrauimus, hoc optimè de studijs bonarum artium merito officium præstantes. Huius designationem διαγραμματικὴν, & memoriæ illius retinendæ gratia, & ad eorum vsum, qui hanc sapientiæ partem colerent, visum est subijcere.

Sit later A B E, cuius planiciæ à sese inuicem æqualiter distent, id est, sit σχῆμα παραλληλεπίπεδον. Et in alia quadam planicia finitoris, fortuitò recta quædam tanquam orientis linea ducatur C D, cui applicetur latus Q R. Eoq; manente immoto in recta linea C D, laterculi altera pars E, eleuetur, donec per planiciam superiorem ipsius, polus mundi planè conspiciatur.

Id fieri

Id fierì intelligatur per lineam E F. *Atq; ita affirmo deprahendi altitudinem poli. Ex* E *enim &* F *punctis, quæ in superiore parte laterculi dantur, per* 11. *libri* 11. *Elem. in planiciam finitoris ducantur ad normam* E G *&* F H, *& ex* E G *maiore, rectæ* F H *æqualis auferatur per* 3. *libri* 1. *Elem. quæ sit* K G. *Atq; connectantur* F K, *&* H G *includent ita lineæ illæ rectæ angulum* E F K. *Qui erit angulus* ἐξάεματος.



Quoniam enim F E *tanquam in planicia meridiani educta est, (nam axem mundi refert) & ex* E *puncto in axe in planiciam finitoris demissa ad normam* E G *per* 38. *libri* 11. *Elem.*

in com-

in communem meridiani & finitoris sectionem cadet in puncto G, & propter easdem causſas F H in puncto H in eandem cadet sectionem. Recta igitur H G, vel quod idem est F K communem meridiani & finitoris sectionem referunt. Sed communis finitoris meridianiq; sectio & axis mundi angulum ἐξάεματος includunt. Angulus igitur E F K, ἐξάεματος angulus erit. Qui quantus sit, ita perquires.

In alia quapiam planicie ducatur recta M P fortuitò, ad quā & punctum M per 23. libri 1. Elem. angulo E F K æqualis constituatur angulus L M N, Centroq; M & interuallo qualicunq; describatur circulus. Et rectæ lineæ L M, M N, producantur ad ambitum circuli descripti, vt fiant M O, M P. Si igitur totum circuli ambitum in partes 360. vt assolet, diuiseris, atq; initium feceris à puncto P, manifestum fiet, quot partium segmentum ambitus O P sit. Quod erat efficiendum.



Vbi

Vbi legitur in Græco libello expresso ὁ δὲ τῆς ἐννακισχιλίων ἑπτακοσίων εἴκοσι τὴν γένεσιν ἔχηκε, σωθέσῃ μὲν ἐκ τῆς ἀπὸ μονάδος τετραγώνων ἐφεξῆς τετράκις γινομένων τετραγώνων τεσσαράκοντα γὰρ ἑκατέρως γίνεται. ταῦτα δὲ πεντάκις τριγωνιζόμενα τὸν εἰκείμενον ἀριθμὸν παρέχει. *Nos antequam Turnebiana vidissemus, Latina talia reposueramus: Hic verò nouies mille septingentorum viginti numerus ita gignitur, vt compositione de primis ab vno, quater quaternis ordine sumtis quadraginta vtrinque existant. Quæ quinquies in triquetrum redacta, numerum illum propositum exhibent. Atq; sunt hæc etiam, vt spero, de Græcis non malè Latina facta, sed quid dicitur? Sanè diu multumq; in his nos torquendo afflximus. Tandem ausi fuimus tanquam mutilum hunc locum nostro arbitrio explere, hoc modo,* σωθέσῃ μὲν ἐκ τῆς ἀπὸ τῆς δεκάδος τετραγώνων καὶ τῆς ἀπὸ τῆς μονάδος τετραγώνων ἐφεξῆς τετράκις γινομένων τετραγώνων. *Id est: vt compositione à decem quatuor, & ab vno itidem quatuor quater ordine sumtis quadraginta vtrinq; existant. Nam dispositis duobus numerorum ordinibus hoc modo: 1 2 3 4. Quæ est series ab vno. Et rursum 6 7 8 9. quæ series est numerorum retrò à numero denario. Si illa componantur addendo exeunt de priore serie 10. de posteriore 30. & ita consummantur 40. Sed*

adhuc obstat illud quod dicitur ἐφεξῆς τετράκις γενομένων τετράγωνον. Quo omnino multiplicatio indicari videtur. Vt ne sic quidem emendatus iste locus sit, & adhuc aliquid desideretur. Cum quidem primis ab vno, id est, ἀπὸ τῆς μονάδος numeris 1 2 3 4. quater sumtis, seu in quatuor singulis ductis, ita quoq; conficiantur 40. Nam quater vnum sunt 4. quater duo 8. quater tria 12. quater quatuor 16. Quibus compositis existunt 40. Ex his igitur vtcunq; intelligentia nostra nitendo emersit. Sed in ijs quæ sequuntur de redactis quadraginta in triquetrum quinquies, prorsus aqua, vt dicitur, hæret. Nam σχηματογραφία ista numeri, illum alterum nequaquam exprimit. Vt autem grauiter ægrotantes ad professores artis Medicinæ de suo morbo referre solent, sic nos laborantes hac in parte confugimus ad professoris Mathematum apud nos opem M. Valentini Thauæ, (quem interpretantes germanicum nomen Drosonem appellauimus) virum & eius scientiæ quam profitetur facultate eximia præditum, & ceterarum artium cognitione copiosa atq; præclara instructum. Qui istum nodum ita dissoluit, vt triplicatione id quod dicitur ostenderet confici. Suspicari igitur fortasse liceat, ex eo quod esset in archetypo τριπλασιαδέντα, illud τριγωνιδέντα à librario exaratum fuisse. In quo si fallor, nihil enim de eo affirmamus,

σχημα-

γραμματογραφείτω δήτις τῆς ἀριθμητικῶν, καὶ διαγραφείτω τὸ λεχθὲν, καὶ χάριν ἕξομεν ἐκείνῳ ὧν εἰκὸς λύσαντι ὥσπερ δεσμὰ τὴν ἡμετέρας ἀγνοίας. *Sed triplicatio pulcrè procedit. Ter enim quadraginta fiunt 120. Et ter 120 fiunt 360. Et ter 360 fiunt 1080. Et ter 1080 fiunt 3240. et ter 3240 fiunt quinta iam triplicatione 9720. Qui est numerus quem confici oportebat. Hac istius loci enarratione, interea licet, dum melius certiusq; aliquid inueniatur, simus contenti. Quod autem ad eum libellum attinet, quem nos sumus interpretati, apparet hunc cõpositum esse Aristoteleo more, ita vt post proœmium disputatio in personas conferatur, quæ est dialogi forma. Vt autem superiorem librum, de oraculorũ defectu, attribuit Plutarchus filio suo Lampriæ, ita expositionem istam huius libelli sibi reseruauit. Qui, id quod supra questi sumus, & mendosus & mutilus plurimis in locis prodijt. Atq; vtinam ij, penes quos sunt libri veteres, aut quibus ad hos patet liber aditus, recentiores editiones depraua tas separatim notent atq; indicent, & emendando studeant corrigi. Quam operam nuper dedit vtilem in Athenæi potißimum scriptis Gulielmus Canterus Vltraiectinus. Et superioribus temporibus in compluribus poëtarum latinorum Hieronymus Auantius Veronensis. Atque hæsimus statim hoc loco, quem curauimus, quemad-*

modum similes alios, asteriſco notandum. Vbi ita fecimus: Atq; ita cum assedissem, &c. Expressa autem est, vt spero, sententia à scriptura archetypi non abhorrens. Id quod integris aliquando libris repertis cognosci scilicet poterit. Neronem in Græcia multum versatum non est ignotum. Et quamuis Pythicam Laurum vt Citharœdus ostentarit, tamen & templum illud spoliasse, & oraculi sedem cæde hominum polluisse, & loca consecrata Apollini dimisisse militibus traditur à Pausania & Dione. Cur autem Delphicus Apollo Pythius dictus sit., non vnam caussam idem Pausanias in Phocicis affert. Delius autem est ab insula Delo. In quo nomine claritatis & perspicuitatis est significatio, sicut in altero quoq; Phanæi. Ismenium autem ἀπὸ τοῦ ἴσημι, quo verbo scientia indicatur, ἐτυμολογῶν nunc autor deduxit.

Et λεχηνόριος est ἀπὸ τῆς λέχης. Nam λέχας huic Diuo vetustas consecrauit. Quod nomen in editis libris notis accentuum corruptum extat.

Lamprias frater.] Sic enim scribenda Græca puto: λαμπρίας ὁ ἀδελφός. Cum supra fecerit mentionem autor filiorum suorum, vt intelligatur frater Lampriæ Plutarchi filij fuisse Ammonius. Scripsit autem Suidas Lampriam fuisse filium Plutarchi, & indicem confeciſse seu tabellam operum patris sui. De igne autem illo perpe-

perpetuo, quem immortalem vocat Plutarchus, & non patere aditum ad oraculum Delphicum mulieribus, quid præterea narrem, non habeo. Duarum verò parcarum, & Pausanias meminit. Cortinæ autem opus lebes fuit cum tribus pedibus, supra quem Pythia imposita, fata canere solebat. De figura autem hac E I sciendum non modò eius quam diphthongum Grammatici vocant, sed vocalis quoq; apud veteres figuram fuisse, sicut syllabam ου vocalis ο.

A Luna errantium siderum Solem.] *Quæ est Aegyptiorum dispositio, & eam retinuit Plato. Quod nos vertimus ex tabella & via trita, ἐκ πίνακος καὶ πυλαίας, prouerbij figura apparet dictum esse de vulgaribus atq; communibus. Sed prouerbij caussa explicatioq; quæratur. Sequens autem prouerbium de calculis promotis à sacra linea, notum est.*

Ab enarratorib.] *Hi Delphis erant qui hospites circumducebant, & de ijs quæ viserentur historias exponebant. Nunc autem ita fit mentio figuræ huius E I vt partis, quemadmodum Grammatici loquuntur, orationis.*

Copulato cum hoc pronunt.] *Sic ἀξίωμα sumus interpretati. Nihil autem rei quærendo vel ponendo asseritur. Atq; ita hæc particula aduerbij vicem habebit interrogando, quæ est ἐρώτησις. Sicut optando quoq;, quæ εὐχή est.*

Et Archiloch.] *Notari hæc iussimus stellulæ signo, tanquam prorsus deprauatè edita. Atq; fecimus nos latina de Græcis quæ potuimus, autoris sententia, quemadmodum confido, expressa. Archilochum autem Lycambæ filiam Neobulen amasse, & ob negatam illa arma versuum expedijsse, vulgatum est. Sophron autem vetus poëta fuit* μιμογράφος.

Aram in Delo duplicari.] *De cubo duplicando Platonem fuisse hoc interpretatum accepimus. De quo nos in libello logistico nostro ex Vitruuio & alijs plura retulimus.*

Copulatiua.] *Nunc enim loquitur de hac particula vt coniunctione, id est,* εἰ συνδέσμου συναπτικοῦ. *Constat autem connexis stoicos plærasq; argumentationes suas explicuisse.*

Quæ iam sunt.] *Versus Homericus de Calchante, quem est Maro de Proteo interpretatus. Nos ideo alterum subiecimus vt consentanea esset cum disputatione Plutarchi interpretatio. Traditur autem à quibusdam, ideo Tripodem fuisse quasi sedem vatis Delphicæ, quod & præsentia ab illa enarrarentur, & prædicerentur futura, & præterita indicarentur. Sanè in ijs vertendis, quibus Græcè nominantur ea quæ sunt & quæ existunt, nonnihil sudauimus. Atq; fecimus quod nobis arrisit, de quibus cuiusq; esto liberum arbitrium.*

Hercu-

Hercules verò.] *Allegoria pugnæ de tripode Herculis cum Apolline. Enarrata ἰσορικῶς a Pausania in Phocicis. Bœotos autem notaunt prouerbium vt audaces atq; stolidos. Exuuijs autem leonis, quæ est λεοντὴ, significantur conatus vehementes, tanquam Herculani.*

Ne quid nimis.] *Et hunc locum notandum putauimus vt corruptè editum. Qui mihi quidem mutilus visus est. De numerorum autem cùm aliorum tum quinarij natura, in medio sunt Macrobianæ expositiones.*

Vel quod perfectum.] *Tribus numeris tribuitur perfectio. Ternario, qui primus propriè & planè numerus sit. Senario, qui suis partibus conficiatur. Denario, qui primus serie procedentium numerorum limes sit.*

Solitudinis.] ἀπόλλων *ita erit, quasi* ἄνευ πολλῶν. *Cum particula* α *priuante. Sed Platonicæ etymologiæ huius nominis aliæ sunt in Cratylo. Miscentur autem hoc loco numina Apollinis & Liberi, sed ita vt effectionibus longissimè distent.* Ζαγρέως *autem Liberi epithetum est, eius quem fabulæ poëtarum perhibent procreatum Ioue & Proserpina. Atq; apparet hinc quoq; diuinas quasdam efficacitates in hoc mundo, veteres Deorum nominibus celebrasse, & ex eo* πολυθείαν *esse ortam. De diuersorum autem Deorum coniunctione quadam extant Macrobiana quoq;.*

Mulierum instigatorem.] ὀρσιγυναικα. *Nam agmen muliebre est Baccicum, & huius falsi Dei sunt Mænades atq; Thyades. Quæ autem hoc loco commemorantur, ea ad solennes ritus ceremoniarum Delphicarum pertinent. Quæ cum nobis ignotæ sint, ista etiam obscuriora videri necesse est.*

Ad ipsum.] *Illum scilicet Diuum) Sed sunt hæc mendosa. De quibus latina coniecturam sequendo fecimus. Quod sequitur autem, vt semel dicam, legi scilicet* ἐνὶ, *id est,* ἐνὶ λόγῳ. *Nisi fortè verum est,* ὡς ἔπος εἰπεῖν, *quod vsitatissimum est in Græco sermone.*

Præteritis.] *Legimus* παρελθών. Μονογενῆ *autem sumus interpretati pluribus verbis, cum fortasse vno potuissemus vti, vnigena. Quod certis de caussis facere noluimus.*

Euripides.] *Versus finis Iambici,* ἀλλ' ἀνοιξέος λόγος.

Quin huc vsq; perducta nat.] *Legimus* ὅτι δὴ δοῦρ᾽ τῷ φύσιν ἥ τις. *Densa autem & firma moles* ἀντίτυπον *nobis est. Quod de ijs dicitur, quæ ictus habent mutuos & resonantes. Vt cum ferrum ferro impingitur.*

Et mox, animatum genus.] *Legimus* ἔμψυχον, *idq; verum esse credimus.*

Quod max. est, inquam.] *Legimus,* τὸ δὲ μέγιστον, ἔφην, δέδ. *Et paulò pòst, vt aiunt) legi-*

legimus φασί. *Cum quidem tota ſcriptura huius loci nobis ſuſpecta ſit, quapropter ſignum apponendum curauimus.*

Modus.] τὸ μέτριον. *Hoc nomen à menſura dictum eſt, vt ſequens etiam* σύμμετρον. *In quo eſt partium metiendo deprehenſa & expreſſa conſenſio, qua qui pingunt imagines & effingunt ſimulacra ſpectantur. Et eſt eius rationis apud artifices nomen* συμμετρία.

Sexta ætate.] *Verſus in Philebo Platonis ita exaratus extat, mentione autoris Orphei:* ἕκτῃ δ' ἐν χρεῖῃ καταπαύσαις κόσμον ἀοιδῆς. *Sed* κατεπαύσατε *verum ſuſpicati, vel pro hoc illud poſitum, id ſumus interpretati. Quæ ſequuntur vt mendoſa ſigno noſtro indicata ſunt. Et memorantur rurſum quorundam rituũ obſeruationes, & actiones rerum mihi ignotarum,* ἄῤῥητα *autem erant myſtica & arcana in ſacris.*

Reliquarum partium.] *Mendoſa ſunt iſta & ariolando latinè expoſita.*

Quaſi vna acie.] ἀκμῇ μιᾷ, *legimus. Sed &* ἀκμὴν *poſſe legi ſuſpicamur.*

Apollo quaſi non adm.] *Vt ſupra quoq; indicatum eſt. Legimus autem mox, & verum putamus:* ἰήϊος. ἰὰ *autem* μία *eſt. Et mox, foris verſantes) legimus* ἔξω διατρίβ.

At exceſſus extra.] *Valde eſt mendoſus hic locus, de quo penè quid fecerim neſcio. Conſidere-*

sideretur igitur atq; exquiratur res diligentius. Et vestigetur etiam poëticus puer ille, cuius similitudine nunc autor vtitur, si cui fortè alicubi occurrat, & deprehensus indicetur.

Pindarus inquit.] Mendose & hæc isto loco Pindarica sententia exarata est, quæ ponitur & in libro de oraculorum defectu, & in disputatione aduersus Coloten Epicureum: Ne iucundæ quidem vitæ locum esse in Epicurea disciplina. In fabula Euripidis, cuius nomen supplices, leguntur ea quæ hoc loco adducuntur, sed mutila. Atq; vt puto integra talia quædam illa fuerint: κεῖται μνήματα πένθιμοι Κουραὶ καὶ στεφάνοις κόμας, Λοιβαὶ νεκύων φθιμένων, ἀοιδαὶ τὰς χρυσοκόμας Απόλλων οὐ δέχεται. Quæ sequuntur verò, ea vt mendis referta & manca prorsus esse, καὶ τυφλῷ, φασι, δῆλον. Ne autem opella nostra hactenus perducta relinqueretur imperfecta, attexuimus finem eius sententiæ, quam diuinando potuimus comminisci non abhorrentem ab ijs quæ autor videretur edidisse. Atq; gratia habebitur à nobis illi, qui melioribus suis nostra confutarit, tantùm abest vt hoc molestè laturi simus. Par autem est omnes bonos & doctos (in quorum numero et me poni quocunq; sanè loco, confido) experiri conariq; omnia, ad optimarum litterarum & artium studia percolenda & conseruanda. Quæ indies animaduertuntur

tuntur debilitari adhuc illa quidem etiam exorientia atq; tenera. Nocet autem eis non modò barbariæ quasi hostilis impressio, sed eorum quoque qui ipsa amplecti se profitentur veluti bellum ciuile, & domesticum certamen, vno obtrectante inhumaniter altero, vel etiam insultante. Quod vt miserum est, secundum Plautum, opus, sic neq; libet neq; decet hoc loco, verbosius exagitare. Hic commentationis igitur & operæ istius meæ finis esto.

LECTORI
IOACHIMVS.

QVod in libello à nobis in latinum è Græco conuerso obscura occurrent multa, caussa vna est, quod plæraq; de rebus abstrusis & à communi intelligentia hominum remotis sermo Latinus tam subtiliter disserere, seruata proprietate sua, nequit. Quæ igitur non imperitis linguæ Græcæ sic perspicua satis sunt, cùm legunt, ea in latinam translata quasi caligine obduci videntur, & sunt minus aperta. Altera caussa est, quod editum exemplum græcum, et mutilum & refertum est mendis. Qui tamen Græca cum nostris conferre non fuerit grauatus, is fortasse deprehendet, neq; nos fuisse in his elaborandis indiligen-

diligentes, & non penitus operam ſuam perditurus eſt. Cum ſit autem facta mentio in proœmio noſtro de Socratis Dæmonio, paulò plura de ipſo, ne quid chartarum vacaret, commemorare viſum. Fit autem paſſim in Platonicis dialogis huius mentio. In Phædro vocem fuiſſe eam prohibentem aliquid dicitur, ſed in Theage idem & planius exponitur, & confirmatur exemplorum narratione. Atq; ait ibidem Socrates, quod Dæmonium illud ſibi à prima pueritia comes fuerit diuinitus. Et, quemadmodum vates ſolent, de euentis fidem acquirere ſtudet. Nam et Charmidem, dicit, Glauconis filium vetuiſſe, excercere ſe ad curſum ludis Nemeis, & non obtemperantis excercitationem iſtam fuiſſe infortunatam. Timarchum autem quendam cum cæde facta ad mortem ipſe quoq; captus duceretur, confeſſum fuiſſe, accidere hoc ſibi, eò quod non paruiſſet Socrati. Præterea cùm copiæ in Siciliam proficiſcerentur, ſe interitum illarum prædixiſſe. Et de Sannionis cognomento Pulcri expeditione malè ominatur. In Plutarchi libello mendoſæ admodum & mutilæ editionis, cuius titulus eſt, de Socratis Dæmonio, additur hoc: In fuga Atheniẽſium ad Deliũ (de qua narratio extat Thucyd. lib. 4.) Pyrilampen Antiphonis filiũ ſaucium in poteſtatem veniſſe hoſtium. Qui, cum poſtea audiſſet ex legatis de pace Athenis miſſis, Socratem

cratem vnà cum Alcibiade & Pachete euasisse incolumes, multum sese incusasset, testatus quosdam ex amicis & manipularibus, quod non obœdijsset Socrati monenti ne illac fugerent. Additur & alterum hoc minus graue & serium: Socratem quodam tempore cum amicis transeuntem Athenis regionem fabricantium arcas, (qui, si videtur, vocentur arcularij, Græcis sunt κιβοτοποιοὶ) monuisse ne recta via procederent, sed ea decederent. Cui obsecutos fuisse plæroſq;. Non tamen nullos, qui coarguere Socratis vanitatem cuperent, perrexisse. Cumq; præteritis officinis fingentum simulacra, (Græci has ἑρμογλυφίας appellant) venissent ad iudiciorum loca, occurrisse eis magnam multitudinem porcorum volutatorum in cœno, qui se trudendo cum mutuo propellerent, neq; diuerticulum vspiam pateret, ita accidit, vt alios incurrendo euerterent, alios luto aspergerent, & inquinatos deinde Socratici Dæmonij meminisse cum risu. Disputatur autem eo libello, quid rei fuisse Dæmonium illud existimandum sit. Et argumenta dicuntur de voce ominis, & de sternutatione, quæ modò prohiberet, modò cohiberet. Cumq; hæc signa dari gubernariq; diuinitùs viderentur, ita ad Dæmonis efficacitatem ea Socratem retulisse. Solere autem sæpe magnarum rerum significationes esse leuiores, vt in medicina vena motionem, & m

tempe-

tempestatum iudicio, murmur. Quemadmodum autem natura istis quasi instrumentis vtens, ipsa efficiens esset eorum, quæ euenirent, ita indicata signis illis existere diuinitus. Etiam alia quædam de hoc ipso subtilius ibi disseruntur: Voces quasdam Dæmonum sic sonare, vt per aërem illæ quidem penetrent vniuersum, & perueniant ad cunctos, sed non percipiantur neq; intelligantur ab omnibus. Quod in ijs tantùm hæ resonent, quorum ingenia placida sunt, & ab omni perturbatione vacua, & animi quasi sereni atque tranquilli. Fuisse autem in Socrate à primo ortu quasi liquidum & purum habitum naturæ, docetur ibidem declarasse oraculi responsum datum patri ipsius de puero illo. Iussisse enim hoc, relinqui eum suo arbitrio prorsus, et vota tantùm pro ipso facere Ioui forensi ac musis, cetera nihil curare. Quod intra se haberet puer ducem potiorem multis millibus magistrorum atq; custodum. Sunt autem omnino naturaliter alij in alijs excellentiores. Videmus enim præstare aliquos sagacitate in conijciendo, aliquos intelligendi perspicacia, aliquos solertia iudicandi, aliquos prudentia consiliorum, aliquos attentione & cautione, id est, ἀσφαλείᾳ, in definiendo. Similiter in quibusdam est præsagitio futurorum euentuum aduersorum ferè & malorum, quæ est Græcis προμάντεια, & δυμὸς πρόμαντις in Tragœdia; præ-

saga

saga mali mens. Atq; huiusmodi vocem in animo Socratis sonuisse non delatam ad aures, solutumq; fuisse præsagire eum euentura minus prospere, & isto r mine facultatem hanc admonentis se Dæmonij ornasse, non abhorrere videtur a vero. Sed de his satis vel philosophati vel nugati sumus, neq; pluribus nunc etiam locus est.

FINIS.

LIPSIAE
Imprimebat Iohannes Steinman.
TYPIS VOEGELIANIS.
ANNO M. D. LXXVI.